3785

1
9

~~W6~~
114 # 31 ~~65~~

700-
R824

NAVIGATIO LIBERA

SEU

DE JURE QVOD PACATIS AD BELLIGERANTIUM COMMERCIA COMPETIT DISSERTATIO

QVA

JUS COMMERCIORUM ARCTOIS REGNIS CUM Gallis ut Amica Gente liberum, flagrante inter hos, Anglos & Batavos bello, ex Jure Gentium aſſeritur, ac defenditur.

AUTHORE.
J. G.

LIPSIÆ ET ROSTOCHII.
Ex Officina JACOBI RICHELII.
ANNO cIɔ Iɔ cXCIII.

Smel 8785
25056
W61
G89

PRÆFATIO.

TRia præprimis ſunt, qvæ in qvavis optima, ac bene conſtituta Republica qvam maxime neceſſaria, indeqve amicabili conjugio combinanda, Literæ nempe, arma & nummi: qvod ita expreſſit Eminentiſſ. Cardinalis Moroſini, *Conſiglio, militie, e denari ſono i tre elementi del mondo Politico.* Literarum autem uti ſunt magna præſidia in omnibus cauſis, ita certe in magnis & arduis Principium negotiis explicandis, in Juribus Principum defendendis, in rebus illis prudenter moderandis, qvæ bellum, pacem, inducias, fœdera, connubia, proferendæ ditionis modum, amorem & ſtudium populi, factiones & ſummam regni molem concernunt, inde Viris doctis Principem nullo modo carere poſte tralatitium cum hi certe ſint, fruſtra ringentibus literarum oſoribus, regnorum dextra, columna Imperiorum, araqve ſalutis publicæ. Armorum qvoqve in omni Republica magnus eſt uſus, cum ubi ratio amplius locum invenire neqvit, ibi vis adhibenda, & armis experiundum; Cautus tamen ſit Princeps, ne umbram pro Junone amplectetur, atqve non tam ad qvalitatem qvam qvantitatem militum reſpiciat, plus enim præſtant pauci Nobiles ac generoſa pectora, qvam multi Plebeji, ac ex ruſticorum caſa indiſtincte collecti, illis enim ad bene ſegerendos gloria calcar addit, hi pro vili nummo duntaxat certamen ineunt manusve conſerunt. Optime inde Hiſpanus in libro *Platicas Politicas*, qvanqvam paululum modo Thraſonum Hiſpanis multum uſi-

tato loqvatur: *Mies panto di reſto,* inqvit, *qve los Labrudores del Elector Palatin qvieran mezclar uſus torpes y flacos manos con nueſtros colericos, Herculeos, y marciales bracos, Vale me Dios, qve los Vellacos ſe qvieran mezclar con hidalgos y cavalleros deçendidos de la caſa real. Qvela ſombra ſola de nueſtros bigotes y relampago de nueſtras armas les espantera.* Licet ergo armorum in ſocietate Civili uſus ſit non contemnendas, tantus tamen non eſt, ut ſine literis Rempublicam armis ſolummodo ſuffultam diu ſubſiſtere poſſe credas ſed palma omnino literis præ atmis debetur, conſtat enim poſſe ex forenſi toga haud ægre fieri ſagam militarem, illis autem præcipuum eſt, ne qvid detrimenti capiat Reſpublica (*V. Gramond. lib. 3. Hiſt. Gall. p. 183. Edit. Toloſ.*) notanter *Cicero 1. off.* ait, Solonem plus ſuo conſilio, qvo Areopagitas conſtituit, adjuviſſe Rempublicam, qvam Themiſtoclem, inſigni illa ad Salaminam victoria: Et qvantum detrimenti Reipublicæ ex neglectu literarum ſubnaſcatur, teſtantur tot infelicia regnorum exempla, qvibus literarum monumenta & temporum Annales abundant. Tertium qvod non ſolum Principi, ſed in omni vita ac ſtatu neceſſarium, eſt pecunia, neruus rerum gerendarum inde dicta: *Dineros hazen todo, y hombres ſin deneros ſon come cavallo ſin çevada* inqvit Hiſpanus: Reditus autem cujusvis Principi eo opimiores erunt, ſi in eorum regnis qvam maxime floreat Mercatura hæc enim ſubditos effici divites, qvi Principi inſtar vivi ærarii eſſe poſſun cum e contra in regnis, ubi non eſt magnus com merciorum uſus, exhauſta inveniantur ærari

Princ

Principum, vacua ſcrinia ſubditorum, in omnium oculis detur vacuum, qvod tamen alios rerum natura non admittit: Cum ergo nulla bene conſtituta Reſpublica dari poſſit, aut ſubſiſtere, absq; literis & ſtudio armorum, neutrum autem eſſe poſſit absqve ſtipendiis, neqve ſtipendia ſine tributis, neqve tributa absqve commerciis, inde ut hæc, tanqvam humidum radicale corporis civilis, ſarta tecta in ſuis regnis conſervarent, ſummis viribus præcipue anniſi Principes, qvapropter paci ſtuduerunt. & bello inter vicinos flagrante, medios ſe gerere & extra belli conſortium eſſe conſultum duxerunt, hoc enim modo omne periculum declinarunt, ſumtibus parcerunt, viresqve ſervârunt integras: qvod & maximopere *Guicciardinus* ſvadet, *negli conſigli & avertimenti, Conſigl. 68.* ubi, *Lando*, inqvit, *nelle goerre d' altri che ſtia neutrale perche fugge il pericolo e la ſpeſa e le ſtracchezza, e li diſordini d' altri gli poſſono apparechiare qvalche buona occaſione.* Hæ ſimilesue rationes moverunt qvaqve Sereniſſimos Sveciæ atqve Daniæ Reges, qvod recrudeſcente ante aliqvot annos inter Anglos Belgas, & Gallos bello, medios ſe gerere atqve extra belli conſortium permanere conſtituerint, ſc. tum ut belli periculis atqve incommodis ſe eximerent, tum ut ſubditis ſuis negotia atqve commercia cum uno atqve altero belligerantium ſalva ſervarent, qvæ alias ſine dubio ſi uni parti ſe addixiſſent, ab altero belligerantium impedita fuiſſent; Neqve hîc incommoda illa, qvæ qvandoqve Pacatos ut umbra corpus, ut ſymptomata morbum ſeqvi ac concomitari ſolent, metuenda videbantur,

lis ſcilicet circa merces Jure Gentium ad unum vel alterum Belligerantium apportandas ; cum his jam ſatis præventum tractatu navigationum & commerciorum inter Coronam Sveciæ & Ordines Fœderatos Belgii anno 1679. inito, qvo cautum ſi eveniret, Ordines Fœderatos in bellum detrudi, Svecis integrum foret, merces qvoscunqve exceptis bellicis ac *artic.* 15. dicti fœderis comprehenſis, ad inimicos ac hoſtes Batavorum deferre, & vice verſa ; Simulqve *art.* 37. communi conſenſu ſtatutum, ut hoc fœdus commerciorum duraret annis vigenti qvatuor : Exſtat etiam ſimilis commerciorum tractatus inter Danos, Anglos & Batavos initus : Cumqve, ut dixi, ante aliqvot annos Angli & Batavi, cum reliqvis confœderatis Gallum junctis viribus fatigare cœperint, Svecis & Danis cum Rhœtis & qvibusdam Italiæ Principibus neutros ſeqventibus partes, caſus exſtitit, qvo hæc mutuo conſenſu inita pacta locum habere debuiſſent ; Sed qvam enormiter iis ab Anglis & Batavis contraventum, hîc multis commemorari non vocat, cum nec lippis & torſoribus id ignotum, & à Svecis & Danis cum maximo eorum damno expertum ; Illorum cauſam hic agere atqve ſuſcipere incitat, ac inſtimulat me præcipue amor in patriam, cujus teſte *Euripide apud Stobeum p.* 495. converit omni ratione & arte emolumentum & ſalutem moliri : & qvidni ? non nobis enim, ſed Patriæ nati ſumus.

Neſcio qvâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Veniam inde eapropter mihi facile polliceor ; qvod ſi enim nec Grotio vitio verti potuit, qvod patro-

patrocinium ſuorum Batavorum, cum liberum illis commercium cum Indis ab Hiſpanis impugnabatur, tum temporis in ſe ſuſceperit, ac eorum cauſam tr. de Mari Libero egerit, ita nec minus mihi, cum ſicuti boni Judicis eſt ampliare Curiam, ita & boni ſubditi erit, jura ſui Principis defendere; Utriqve ergo idem in Patriam amor atqve Zelus eſſe videtur: Jus Batavorum a Grotio defenſum, res magni momenti erat; neqve nos qvidpiam leve aut vulgare tradimus, cum non agitur hîc de tritico, vino vel oleo legato, ſed de controverſia inter Principes, Populosqve ſuperiorem non recognoſcentes, de qvâ ſalus publica ac ſubditorum ex parte dependet: Qvo ad modum ſcribendi laus Grotio manſit, qvod modeſtiâ in ſuos defendendo uſus, hanc normam, hunc ſcopum etiam mihi propoſui, ab omni enim injuriâ me temperavi, nullam Gentem in calumniam rapui, nullius famam læſi, cum enim nihil per odium ſcribo, rem debitam cuivis rependo; inde qvicqvid in hoc argumento a me dictum, vel ſcriptum fuerit, nihil continebit diverſi ab iis qvæ vel Sereniſſ. Regum Sveciæ & Daniæ Ablegati in Britannia ac Belgio nuper defenderint, vel qvod alienum a recta ratione, vel qvod Juri Gentinm contrarium, aut qvod Juri cordibus noſtris inſcripto, ac nobiſcum nato adverſum, ad hos enim limpidiſſimos fontes, ſepoſitis Juris Qviritium apicibus, tanqvam ad ſacram anchoram recurrimus, confugimus, provocamus. Aſt ne comparatione vileſcat Vir Magnus, ire in veſtigia ejus qvavqvam e longinqvo, pro magnifico habeo. Cœterum ſicuti res, ſcita, placita ac ſententiæ

Ægyptiacæ ex Ægyptiorum, Phœniciæ e Phœnicum, Græcæ e Græcorum ſcriptis, qvod olim monuit Euſebius, ediſcendæ ſint, eodem plane jure ſtatuo, cum hîc de diverſorum Gentium negotio tractetur, earum res ex variis cujusvis Gentis ſcriptis repetendas, delineandas, inde una lingvâ totam rem defungi haud licuit, ſed varias hic in ſubſidium vocare neceſſe fuit. Unum adhuc monendum, ut acerbam ac virulentam Zoili linguam evitem, fore nonnullos, qvi laborem hunc inutilem judicent, cum hujusmodi controverſias componere privatorum arbitrium tranſcendat, nam, uti jam olim Henricus IV. Rex Galliæ dixit, *les differents de Roy ne ſe vuident pas par canon de la philoſophia, mais par canon de la gverer:* i. e. Regum controverſiæ non per canones Philoſophorum, ſed tormenta bellica finiuntur: Sed hos ſuo genio abundare ſinimus qvanqvam enim qvandoqve citius lis pendens inter ſummas poteſtates dirimetur armis qvam chartarum foliis, attamen cum non pauci ſint, qvi in facta Svecorum ac Danorum, qvod Gallos commeatu ſub levent, invehuntur, ac ea ut qvidpiam iniqvi traducunt, ac lacerant, vel ex ignorantia, vel qvod ſtudio partium trahantur, inde non præſtat ſilere, ubi loqvendum, ſed boni civis officium expoſtulat, honorem ac jura ſui Principis contra iniqvorum cenſuram defendere; charitatis qvoqve erit ut ignorantiæ tenebris involutis lucem veritatis videre liceat; & ſic uni atq; alteri hoc opere conſultum videtur; nemini autem hic labor ingratus eſſe poteſt, cum hactenus qvod ſciam de illuſtri hac materiâ altum tanqvam ex Lege Diffamari fuit ſilentium. Vale.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

CAP. I.

Jure Gentium Mercaturam introductam, eamve eſſe inter qvosvis liberam.

CAP. II.

Licere Jure Gentium neutri parti addicto cum Belligerantibus commercia exercere.

CAP. III.

Anglos & Batavos non poſſe prohibere Svec. ac Dan: cum Gallis commercia ex titulo Dominii Maritimi.

CAP. IV.

Anglos & Batavos non poſſe prohibere Svec. ac Dan. commercia ex capite injuſti belli à Gallis illati.

CAP. V.

Anglos & Batavos ron poſſe inhibere Svecor. ac Dan. cum Gallis negotia ex capite fœderis cum illis imiti.

CAP. VI.

Anglos & Batavos non poſſe inhibere Svec. ac Dan. cum Gallis commercia ex Jure Gentium.

CAP. VII.

Anglos & Batavos non poſſe ſufflaminare

Svec. ac Dan. commercia ex capite innoxiæ utilitatis aut ex prætextu læſionis.

CAP. VIII.

Nulla æqvitate ac ratione niti Anglos & Batavos prohibendo, Svec. ac Dan. merces ad Gallos deferre.

CAP. IX.

Anglos & Batavos vi pacti conventi eſſe obſtrictos ad permittenda Svec: ac Dan. cum Gallis commercia.

CAP. X.

Integrum non eſſe Anglis & Batavis merces Svec. & Dan. per vim intercipere, præter caſum ſi locus ab iis obſidione cinctus.

CAP. XI.

Licere Sereniſſimis Regibus Sveciæ & Daniæ propter damnum ſubditis à piratis illatum, repreſſaliis uti, & negatum Jus commercii armis aſſerere.

TRACTATUS
DE
NAVIGATIONE LIBERA.

Cap.

Jure Gentium Mercaturam intro-ductam eamve eſſe inter qvosvis liberam.

NOn poteſt non notum eſſe omnibus, qvomodo, ſuborto ante aliqvot annos bello inter Anglos, Batavos, reliqvosqve Confœderatos ab una parte & Gallos ab alterâ, Angli & Batavi Svecorum ac Danorum cum Gallis commercia ſpreto Jure Gentiam, poſthabitis pactis, vi, clam, precariò impeditum ire ac ſufflaminare conati : Et qvidem initio hujus belli magis clandeſtino modo, prædones ſcilicet, qvia navigationem aperte interdicere primam non audebant, ſubornando, ut naves ad portus Gallicos tendentes interciperent : Precario qvoqve id obtinere tentarunt, & per Ablegatos cauſati ut Pacati a commercio cum Gallis abſtinerent, ſed fruſtra : cum qvid Jure Gentium circa commercia cum belligerantibus Pacatis liceret, qvid-

ve fides ſtipulata, & pacta cum illis inita in ſe continerent, illis demonſtrabatur: Ante annum circiter vero ipſis in tantum ſpiritus accedebant, ut vim adhibere judicarent, victoria nempe navali in Gallos obtenta inflati, atqve aliqvantulum audaciores facti Angli & Batavi, majora animo conceperunt, & de novo novum opus Svecis & Danis nunciarunt, ut ſc. a commercio cum Gallis abſtinerent, neqve merces, qvæ in bello uſum præſtare poſſunt, ad hos deferrent, qvod ſi neglexerint, merces eorum detinerentur & in commiſſum caderent: qvo nomine jam multæ naves Svec. & Dan. ab illis interceptæ, abreptæ, excuſſæ, ſpoliatæ, & ſi qvædam adhuc relaxatæ, id ſero atqve tarde admodum, ut ſaltem mora & temporis diſpendium illis navigationem redderet minus lucroſam: Novo ſane atqve inaudito procedendi genere, cum ab executione nunqvam debeat fieri initium, atqve ſic ſi Angli ac Batavi injuriam ſibi factam crediſſent, qværelam ad Seren. Sveciæ & Daniæ Reges deferre, ac viam pactis publicis deſignatam inire debuiſſent, cum nunc iſtis inſuper habitis ac inverſo plane ordine omnia pro imperio

perio agant, qvicqvid ſolidarum a Svecis & Danis rationum adferatur, flocci pendant, imperent, exſeqvantur, aufferant, velut ſervitio ſuo addictis. Noſtrum inde inſtitutum in præſens erit, Svecis ac Danis Jus commerciorum & libertatem navigandi in Galliam ex ipſis JurisGentiū fontibus ſcripto aſſerere, ac breviter demonſtrare, citra omne jus ac fas libertatem illã deferendi merces ad Gallos, qvæ in & extra bellū uſum præſtare poſſunt, ab Anglis & Batavis impediri: Res altius repetenda, & ex ipſis prudentiæ civilis penetralibus eruenda: Ex cujus regulis abunde conſtat, qvod Reipublicæ moderatorem ſumma ope niti deceat, ut non ſolum Rempublicam honeſtam virtute, & amplam gloriâ, ſed & firmam opibus, magnam potentia, locupletem copiis efficiat, inde ipſi Mercaturæ terreſtris æqve ac maritimæ rationem potiſſimum, habendam eſſe, tanqvam opum parariæ unicè certiſſimæqve; qvamvis enim ea rerum omnium affluentia terram pariter ac Oceanum, atqve ipſum etiam aerem Creatoris benignitas abunde inſtruxerit, qvæ univerſo mortalium generi in uſum & fruitiouem longe ſufficientiſſi-

ma ſit, tamen ſingulæ Civitates citrà opem commercii frui illis omnigenis & uberrimis naturæ proventibus neqveunt, cum non cunctis fructibus una affluat regio, ſed in aliis terræ partibus alia produci conſveverint, India enim mittit aromata, Europa ſegetem, Vina Italia, Hiſpania, Gallia, Anglia lanam & pannos, Batavia ſuggerit opificia, Svecia & Norwegia, cuprum, ſtagnum, lignum.

Nec tellus eadem parit omnia, vitibus illa
Convenit, hæc oleis, hîc bene farra virent.

Videtur autem natura bono conſilio non omni terræ volviſſe dare omnia ut ſcilicet tanto arctius jungerentur Gentes, mutuisqve ſubſidiis ſe invicem juvarent: Hinc navigatio inventa, ut ſc. per hujus adminicula aliena ad nos afferantur, contra ſuperflua efferantur, hunc modum ipſa ratione naturali & jure Gentium dictitante. *Vid. l. 5. ff. de J. &. J.* hâc ratione etiam JCtus Ulpianus *in l. 1. ff. de exerc. act.* navigandi uſum neceſſitatem vocat. *conf. Borcholt Vol. Conſ. 6. Theſſaur. Deciſ. Pedemont. 264. Berneger.*

ger. qvæſt. in Tac. qv. 17. Et qvantum commercia unicuiqve ſtatui proſint, ſatis teſtatur Belgium *..d Thuan. Hiſt. lib. 100. Relatione delle Provincie Unite di Fiandra del Card. Bentivoglio l. 1. c. 7. & 8. Remarqves ſur. l' Etat des Provinces Unies des Païs-bas par Mſ. Temple. chap. 6. Gallia. Vid. L' hiſtoire du Roy Henry le Grand par Mſ. de Perefixe f. 338. ſeq. Anglia. V. the preſent State af London by Th. de Laune.* Civitates Hanſeaticæ. *Thuan. Hiſt. lib. 51. Bertius. lib. 3. Ker. Germ.* Reſpublica Venetorum *Paul. Jovius lib. 1. Hiſt. p. 8.* Aliaqve regna & Civitates. Ex hoc fonte jam fluit libertas commerciorum, nam cum hæc ſumme neceſſaria ſint ad conſervandam ſocietatem humanam, imo per hæc qvaſi in unam ſocietatem redigatur totum genus humanum in tot Gentes diſperſum, hinc ea impediri citra injuriam a nemine poſſe credidere Gentes Inde appoſite *Mev. ad J. Lub. l. 3. t. 5. art. 12. n. 4.* poſt religionem nihil magis amare libertatem qvàm commercia. Et hoc jus ad omnes Gentes æqvaliter pertinet, ita ut citra injuriam una Gens a commerciis noſtris excludi non poſſit, ſi ea omnibus exte-

ris

ris concedantur. *v. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 22. Alber. Gentil. l. 1. c. 19. Bodin. l. 1. c. 7. & l. 2. c. 1. & 2. Zouch. de J. & Jud. int. Gent. p. 1. S. 2. §. 4.* Sc. ſi id fiat ex ſpeciali aliqvo odio, inde juſta bella ob fori uſum & portum prohibitum & commercia negata cœperunt, qvorum exempla vid. apud *Grot. Mar. Lib. cap. 1. Selden. Mar. Clauſ. l. 1. c. 2. & c. 20. Vasqv. Controv. Illuſtr. l. 2. c. 89. §. 30.* Ceſſente autem illo ſpeciali odio liberum manebit Principis circa admittenda commercia judicium, qvi ſi juſtam habeat prohibendi cauſam, jure ſuo utitur, ipſiqve, qvasnam merces in ſuo regno admittere velit, vel non decernere integrum erit: Sicut de Nerviis antiqvis *Julius Cæſar de Bell. Gall. 2. 15.* teſtatur: & de Svevis *Jd. de Bell. Gall. 4. 2. Add. Liv. l. 43. c. 5. Caſſiod. l. 4. Var. Epiſt. 34.* Sic in Gallia par l'Ordonance de Contrebande prohibitum Salis commercium. *Cujac. 3. Obſ. 31.* & anno ſuperioris ſeculi 52. Edicto Henrici II. Regis Galliæ cautum fuit, ne rudis informisq; materia e Gallia exportetur, cui gemina interjecto decennio apud Anglos & in Belgio anno 63. ab Hiſpano Rege Philippo promulgata. *Bodin.*

din. lib. 6. de Republ. cap. 11. Lex Siciliæ prohibet eqvos militares extra provinciam duci *Luc. Penna in l. un. C. de Cit. & itin. cuſt.* & de Aſturcorum prohibitione in regno Hiſpaniæ meminit *Nicol. Boër. Dec. 178.*

Porro cenſuere Gentes nec libertatem Commerciorum in eo reſtringi poſſe, ut ab iis hoſtes, cum qvibus illis bellum, excluderent, ſed commercia cum his admiſere, præcipue in iis rebus qvæ nullum in bello uſum præbent, ſed voluptati tantum inſerviunt, qvales ſunt veſtes pretioſæ, odoramenta, inſtrumenta muſica, & omnia ea qvæ ſunt in deliciis. *conſ. Ziegler de Jur. Majeſt. lib. 1. c. 41. n. 25. 26.* qvod præprimis obſervatum, ſi qva belli neceſſitas cum externo aliqvo populo ingruat, à qvo magna noſtrarum mercium copia vendi atqve abſumi ſolita: Qvandoqve etiam aliarum rerum qvam voluptuariarum commercium cum hoſtibus permiſſum; hinc eſt qvod glorioſiſſimæ memoriæ Rex Guſtavus Adolphus tempore belli Germano-Svedici libertatem commerciorum ſartam tectam conſervare ſtudens, nundinarumqveFrancofurtenſium, Mercatorumqve ad eos liberum acceſſum

&

& receſſum ſub ſeveris pœnis publico Edi-
cto confirmavit. *vid. Theatr. Europ. Contin. part. 4. pag. 474. ſeq.* Et cum anno 1648. Uratislavia urbs per aliqvod tempus eminus obſeſſa fuerat, intercepta ſubvectione, unde cum aliarum rerum, tum lignorum inopia premebatur, & Mercatores ut commerciis libertas iterum permitteretur apud Wittenbergium inſtabant, hic in petita eorum conſenſit. *Pufendorf. rer. Svec. l. 20. §. 53.* Sic exardeſcente inter Eduardum I. Angliæ & Philippum Pulchrum Franciæ Regem bello, ita iterdum pacto conventum, ut libera nihilominus utrinqve forent commercia. *conf. Selden. Mar. Clauſ. l. 2. c. 22. & 27. Camden. in Inſul. Britann. pag. 855.* Non minus commerciorum libertatem tempore belli adhuc in Perſia vigere docet *Adam Olear: l. 5. Itiner. Perſ. c. 18.* hiſce verbis: Es haben die Perſer und Türcken unter ſich ein pact, daß ſo wol zu krieges als friedens Zeiten die Kauffmannſchafften unter ihnen in und aus dem Lande unverhindert getrieben / und die Carawanen ſicher gehen ſollen / weill einer nation ſo woll / als der andern daran gelegen. De

Con-

Conſvetudine promiſcui commerciorum cum hoſtibus in Belgio uſus teſtatus *Chriſtin; Vol.3. Dec. 64.* Grönweg. *de LL. abrog. ad tit. qvæ res ven. non poſſ. Zypæus in Notit. J. Belg. de Commerc.* Inde imprudentia Comitis Liceſtrii, Belgicæ Fœderatæ Præfecti memorata *ap. Hug. Grot: lic. 5. Annal. Belg.* Offendit ſtatim plurimos Edi-„ cto, qvo non modo cum ſubactis Belga-„ rum Gentibus & Hiſpanis negotiationem „ reſcindebat, qvæ niſi ob certas temporum „ occaſiones hactenus tolerabatur, ſed ne in „ Galliam qvidem aut maritima Germaniæ „ transferri merces volebat, qvod obtende-„ ret rerum penuria debelliari poſſe hoſtem, „ ſi nec ex Britannia nec ex Belgica ullis co-„ piis juvaretur: incogitato merces eſſe mul-„ tas nec hoſti neceſſarias & Batavis ſuper-„ fluentes.--- Ergo cum aliæ Gentes, ad qvas „ bellum non pertinebat, arceri Oceano & „ hoſtium commerciis non poſſent, com-„ pendio duntaxat a Batavis averſo, qvo „ uno res hactenus ſteterat, magna Merca-„ torum multitudo patriis urbibus emigra-„ bant. --- Vetitam evectionem viciſſim eo-„ rum qvæ peregre ſolita peti, penuria ſe-„

qveba-

"qvebatur. Inde ita temperatum Edictum,
" ut in pacatas Gentes cuncta, præter qvæ
" bello idonea, ad hoſtiles Belgas locaqve
" his finitima, excepto ſuper hæc frumento,
" cœtera exportarentur. *Add. Thuan. Hiſt. lib. 79. p. m. 676.* ubi ſimiliter hunc errorem à Liceſtrio commiſſum notat. Eodem modo Batavi anno 1674. commercia cum Gallis, qvæ anno 71. inhibuerant, *vid. Valckenier* verwirrt *Europa pag. 48.* ob communem utilitatem de novo permiſerunt. *Müller in Contin.* des verw. *Europ. p. 440. ſeq.* Idem fecit Ludovicus XIII. Rex Galliæ, il avoit fait defenſes tres expreſſes par ſes lettres de declaration du 23. jour d'Avril de de l'anneé 1625. à tous ſes ſujets de faire aucun traffic en Eſpagne de bleds, vins, toiles, cordages & generalement d'ymener, conduire, tranſporter, n'y achepter aucunes marchondiſes de qveqve ſorte & qvalité qv'ils fuſſent, ſur les peines portées par les dites lettres, mais en l'anneé ſvivante 1626. le Roy fit une Ordonance pour le retabliſſement du commerce en Eſpagne. *Voy l'Hiſtoire de Lovis XIII. Roy de France par D. J. D. S. f. 584. Add. Gramond. lib. 15. Hiſt. Gall.*

Gall. Qvoad merces bellicas tamen idem jus non eſt, his enim hoſtem juvare civi non convenit. Inde notat *Camden. p. 4. Hiſt. Eliſab. p. 599.* qvorundam Mercatorum Anglicorum improbitatem, qvi hiante avaritia, dum bellum tam aperte inter Anglos & Hiſpanos gerebatur, hos tormentis majoribus tam æneis qvam ferreis occulte inſtruxerant, qvibus illi naves imprimis armarunt: Qvod qvam primum Regina Eliſabetha deprehendit, ſevero edicto prohibuit, ſub pœna illis propoſita qvi patriæ hoſtibus opem ferunt; ſimulqve inhibuit, ne qvi opera ferraria exercent, tormenta majora, qvam qvæ Miniones vocantur & non ſupra XVIM. pondo, deinceps conflarent. Aliud exemplum exſtat ap. Gramondum, ubi notat avaritiam mercatorum Gallicorum æmulantium annonæ invectionem in ea loca, ubi maxime vænalem fore augurantur, dum anno 1621. communicavere annonam ſuam Sectariis urbibus, prætioqve participando invexere prohibitam mercem, nempe ad Faxenſia municipia, Montalbanum, Caſtrum Albigenſium, Nemauſum, paſſimqve ad Cebennos: Et non Mercato-

res

res ſolum, ſed & ipſos Nobiles, qvibus lege regni Gallici commercia aliàs interdicta, eam lucri cupiditatem inceſſiſſe obſervat. *Vid. Gramond. lib. 9. Hiſt. Gall. pag. 438. Edit. Toloſ.*

CAP. II.

Licere Jure Gentium neutri parti addicto cum Belligerantibus commercia excercere.

FAvor ergo Commerciorum cum tantus deprehendatur, ut ratio militiæ, & ſtatus bellantium debeat libertati eorum cedere, ſua ſponte fluit, majus in hoc negotio jus competere neutri parti addicto, eumq; contra Leges Neutralitatis minime delinqvere, merces ad alterum ex belligerantibus deferendo, aut fori copiam præbendo. Sed qvantum hîc Jure Gentium liceat neutri parti addicto, paululum videtur dubium, qvippe ut plurimum conventionibus omnia inter Gentes deſenita deprehenduntur: Conventiones autem iſtæ pro modo, tempore & utilitate illas ineuntium variabant, interdum enim modeſtius, interdum violentius Belligerantes bellirigorem, Pacati commerciorum libertatem defendebant, cum

non-

nonnunqvam promiſcue Pacato permiſſum ad alterum bellantium deferre merces qvascunqve ſine diſtinctione, nonnunqvam vero libertas limitata ac reſtricta fuit, ac mercium illarum transportatio prohibita, qvarum præcipue in re bellica uſus Utriusqve generis nobiliora hîc annectemus exempla, cum plurimum lucis rei poſtmodum explicandæ præbeant. PRIORIS exemplum ſiſtit fœdus commerciorum inter Guſtavum I. Sveciæ & Franciſcum I. Galliæ Regem anno 1559. initum: cujus *art. VI.* habetur: *Omnibus Sveciæ ſubditis liberum erit, cum navibus ſuis, mercibus & commerciis proficiſci ad Galliæ hoſtes & inimicos eorumq; portus, regiones & terras, ubicunq; eis commodum videatur, ſubſiſtere & commercari, abire & redire, qvando volent: ita ut ea de cauſa non dicantur violaſſe pacem, aut mali qvid eis inferatur a Francis. Et ut Sveci tempore belli commercia eo tutius & absqve omni moleſtia exercere poſſint, dabuntur illis literæ tuti commeatus, qvandocunqve deſiderabunt. vid. Bœcler. Diſſ. 5. Qvies in Turbis. pag. 207. & 8.* Idem continet tractatus commerciorum inter Regem Luſitaniæ & Batavos ini-

tus

tus, in cujus *art. XII.* hæc leguntur. *Daer en boven ſal het Volck van de vereenichde Nederlanden vry ſtaen ende gheorloft zyn, neſſens allerhande ſoorte van Waaren ende Coopmanſchappen oock over te voeren Wapenen, Oorlogsgereedſchappen ende ammunitie, ſo uyt de havenen von de vereenichde Nederlandtſche Provinttien als van andere Landen en de Plaetſen, ende dat naer allerbande Rycken ende Landen de Werellt, 't ſy do ſelve in Vyantſchap oft Vriendſchap ſyn met den Konigh end het Ryck van Portugael.* POSTERIORIS generis exemplum eſt in fœdere commerciorum Hiſpano-Belgico ann. 1648. cujus *artic. VI. & VII.* ſic ſe habent. *Qve debaxo deeſte nombre de Contrabando ſeron comprehendidas todas los armas de fuego, y ſas aderecas, cone Canones, Moſqvetes, Morteres, Petardos, Bombas, Granadas, Salſichas, circulas Empegados, Afuſtes, Horqvillas, Vandoleras, Polvera, Cuerdas, Salitre, Valas. Aſſimiſmo todas las demas armas come picas, eſpadas, morriones, yelmos, coraſas, alabandas, javalinos, y otros ſemejantes, probibeſe tambien debaxo deeſte nombre el transportar gente de guerra,*

cavallos

cavallos, ſus jaezes, cazas de piſtolas, tacholies, y otros aderecos formados, y compueſtos al uſo de la guerra. Para evitar aſſimiſmo toda materia de diſputa, y contemcion, ſe ha aſſentado, que debaxo de aqvel nombre de mercanderias vedadas y del contrebando, no eſteram compreheudidos los trigos, centenos, y otros granos, y legumbres, ſal, vino, azeite, ni generalemente qvanto pertenece al ſuſtento y nutrimento de la vida. Idem continet *Art. II.* tractatus commerciorum inter Ludovicum XIV. Regem Galliæ & Civitates Hanſeaticas initi: *Lesqvelles marchandiſes de contrebande ſont entreterües être munitions de guerre, armes a feuſcavoir canon, mouſqvets, mortiers, bombes, petards, grenades, ſauciſſes, cercles, affuts, fourchettes, bandoulieres, poudre, meſcke, ſalpetre, & toutes autres ſortes d'armes, come picques, epées, munitions, caſqves, cuiraſſes, hallebardes, javellots & autres armes ſervans a la guerre, enſemble des cheveaux, des cordages & des toyles noyales, qvi ne puiſſent ſervir qv'a faire voiles, pourront neantmoins porter des bleds & grains de toutes ſortes, legumes & autres choſes ſervans a la vie, ſi ce n'eſt que*

les

les villes & places ou ils les transporteront fuſſent attaquées par ſa Majeſté, Correſpondet cum his *art. XV. & XVI.* fœderis commerciorum Regem Galliæ inter & Ord. Fœd. Belg. 10. Auguſt. 1678. initi, ubi, *Onder de Soorten van Koopmanſchappen van Contrebande verſtaat men alleen begrepen te Zijn alderhande Vuurwerken en andere daar toe beherende, als Canon, Muſquetten, Mortieren, Petarden, Bommen, Granaden, Sauſiſſen, Peck-Kranſſen, Affuyten, Forquetten, Bandeliers, Boskruyt, Lonten, Salpeter, Kogels, Pieken, Degens, Stormhœden, Helmetten, Curaſſen, Hellebaarden, halve Pieken, Paarden, Zalen, Holſters, Hengſels tot Degens, en andere toeruſtingen ten gebruyke van den Oorlog dienende. Onder voorſz. Soorten van Koopmanſchappen en ſullen niet begrepen zijn Tarw, Koorn, en andere Granen, Erten, Boonen, Olien Wiinen, Zout, noch generalijk alle 't gene behoort tot vœdſel en onderhout van 't leven, maar ſullen vry blyven, gelijk alle andere Koopmanſchappen en Waren in 't voorgande articul niet begrepen, en ſal geoorloft zjin de ſelve te vervœren, ſelfs na vyandlyke Plaatſen van de gemelte Heeren*

ren Staten, uytgeſondert na Steden en Plaat-die belegert, geblocquert, of beſet ſullen zijn. Et hæc eſt hodie communis pactorum circa commercia formula, ut ſc. merces qvæ præciſe in bello, & qvæ in & extra bellum uſum præbent, invicem ſecernantur, ac diſtinguantur, illarum commercium prohibeatur, horum toleretur: Obſervavi tamen, qvandoqve tractatibus commerciorum, qvanqvam de raro admodum, prohibitionem ſubvectionis, qvo æqviori animo illam ferant Vicini, ad cersa ſaltem loca fuiſſe reſtrictam, cujus exemplum illuſtre nobis præbet tractatus Marinus ann. 1650. die 17. Decemb. concluſus inter Reg. Hiſpaniæ & Fœderat. Belg: qvo cavetur *Art. 2. quod non poterint ſubditi Provinciarum Unitarum in Belgio turbari aut inquietari in eadem libertate a navibus aut ſubditis Regis Hiſpanici ex occaſione cujuscunq; hoſtilitatis, quæ incidat, aut in poſterum incidere queat inter Dn. Regem & ſupradicta Regna, ſtatus ac Provincias, aut aliquam eorum quæ perſtant in amicitia aut Neutralitate cum iisdem Dnis. Ordinibus Generalibus Provinciarum unitarum. Art. 3. Idq; intelligetur*

 quoad

quoad Galliam de omni genere mercium & rerum venalium, quæ transportabantur, antequam bellum inter ipſam & Hiſpaniam exarſiſſet. Art. 6. In cætera regna ſtatus & Provincias, quæ ſunt in amicitia aut Neutralitate cum iisdem provinciis unitis, tametſi inveniantur bello implicitæ cum Domino Rege non poterunt invehi merces vetitæ aut militares. Eodem modo Ericus Sveciæ Rex Lubecenſibus commercia cum Ruſſis turbari quærentibus reſpondit: Commercia Lubecenſibus ſemper fuiſſe cum Ruſſis libera, & in poſterum fore, aſt ut Narvam adeant, ipſum ferre non poſſe, cum id toti ſuo regno & ſpeciatim Revaliæ magno foret detrimento. *Loccen. Hiſtor. Svec. lib. 7. p. 351.* Diverſæ hujusmodi conventiones inter Gentes initæ perſvaderunt Grotio, & Alberico Gentili qvod hanc qvæſtionem, qvid liceat in eos qvi hoſtes non ſunt aut dici nolunt, ſed hoſtibus res aliqvas ſubminiſtrant, ad Jus naturæ retulerint, cum ex hiſtoriis nihil comperire potuerint, ea de re jure voluntario Gentium eſſe conſtitutum: inde ſecundum illud diſtinguunt inter res (1.) qvæ in bello tantum uſum habent,

(2.) qvæ

(2.) qvæ in bello nullum habent uſum, & voluptati tantum inſerviunt (3.) qvæ in & extra bellum uſum habent, Iſtas ad hoſtes deferre permittant, illas non item, has intercipiendi, ſi aliter me tueri non poſſum, ſed ſub onere reſtitutionis, licentiam dant. *Vid. Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 3. cap. 1. num. 5. & Alberic Gentilis Advoc. Hiſpan. l. 1. c. 20. & 28.* Sed hæc ſententia valde periculoſa, qvod ſi enim fingamus nulla pacta atqve conventiones inter Gentes eum in finem exſtare, nihilqve circa commercia Pacatorum cum Belligerantibus conventum eſſe, ſane ob defectum juris Gentium, ejusve incertitudinem dubium foret, an omnia commercia Pacatorum cum Bellantibus ceſſare deberent, aut in qvibus rebus ea permittenda eſſent, qvod uno in libertate commerciorum ſe fundante, altero belli rigorem ſuumqve detrimentum obtendente, facile imo ſemper bellandi occaſionem præberet, qvo ipſo ſecuritas generis humani maxime periclitaretur: Inde omnino qvid Pacatis, qvid Bellantibus in ſtatu hoſtili circa commercia liceat, Jus Gentium definire debet: Nec eſt qvod Grotius cenſeat, ea

 de

de re nihil Jure voluntario Gentium eſſe conſtitutum, cum ex hiſtoriis id comperire non potuerit; neſcio, qvo fato hæc verba Viro alias Incomparabili exciderint (1.) enim ex iis exemplis qvæ in Annotatis plena manu cumulavit, & ex iis qvæ in ſeqventibus adjiciemus, ſatis apparet, gentes exiſtimaſſe, non licere ſibi commoda hoſtium ex commerciis cum pacatis alio modo intervertere, qvam ſi hi ad illas merces qvæ in bello tantum uſum præbent, adferant, (2.) Etſi demus nihil ex hiſtoriis conſtare de Commerciorum jure Pacatis cum bellantibus libero, exinde tamen non ſeqveretur, nihil Jure Gentium propterea hac de re conſtitutum eſſe, qvippe Jus Gentium hiſtoriis non tantum abſolvitur, cum multa longo uſu inter Gentes recepta reperiuntur, qvæ nihilominus ad Jus Gentium proprie dictum referruntur, qvamvis nihil de eo literis conſignatum, aut hiſtoriis inſertũ, & contra ex hiſtoriis qvandoqve conſtat, non pauca eſſe qvæ apud omnes incirca Gentes peræq; obſervantur & cuſtodiantur, & tamen ea non tam Juris Gentium qvam civilis eſſe: Ideoqve in omni negotio, qvod Juris Gentium eſſe creditur, non tantum

tum

tum ad hiſtorias reſpiciendum erit, ſeu in qvoad caſum controverſum mutua qvædam Gentium obſervantia reperiatur, ſed & qvid Jus Naturæ ad illam obſervantiam dicat, an eam reprobet, an dimittat, an ex hoc deducta, an vero ex civili aliqva ratione: Et hæc vera cynoſura Jurium eſt, ad qvam tanqvam ad lydium lapidem revocari debent, cum ſic conſtare poſſit, qvid Juris Gentium ſit, qvid Juris Civilis: Jus Gentium enim pleraqve ſua mutuatur ex Jure Naturæ, ex eoqve deductas concluſiones ad communem tranqvillitatem infert: ſicut in præſenti qvæſtione, ubi de mercibus hoſti à Pacato ſubminiſtrandis vel non, controvertitur, non difficiles ſunt Juris Gentium concluſiones. Natura enim, cum non dedit uni terræ omnia, ut ſc. communis quædam ſocietas inter Gentes eſſet, qvæ ſane ceſſaret, & nulla Gens alteram peteret, ſi nemo alterius auxilio indigeret, inde Jus Naturæ vult, ut liber ſit cuiqve ad qvemcunqve aditus, ut ſic qvilibet indigentiam ſuam aliunde ſupplere poſſit: Eſt qvoqve Juris Naturæ regula, Neminem eſſe lædendum: Ex his jam Jus Gentium infert, Flagrante inter duos

bello, Pacatorum cum uno vel altero bellantium commercia ceſſare non poſſe, cum alias tolleretur ſocietas humana, ſine culpa læderentur Pacati; at cum & hic læſio Bellantium concurrat, ſi Pacatis indiſtincte liceret ad unum vel alterum merces bellicas deferre, præprimis ſi unius vires fractæ, atqve ſic ex eo reſtitui periculum, alter vero his mercibus plane non indigeret; Inde Legem Naturæ ita temperat Jus Gentium, ut in compenſanda mutua læſione reſpiciat ad id, qvod primitus occaſionem dederit, ut commercia qvoad certas merces ceſſare debeant, cumqve illud hic ſit diſſidium bellantium, & Pacati extra culpam inveniantur, inde concludit, qvod & incommodum magis ad illos qvam ad hos ſpectare debeat; ne autem nimis lædantur, æqvum cenſet, ut Pacati abſtineant ad unum vel alterum bellantium merces bellicas deferre, reſervatâ ipſis poteſtate qvoad reliqvas merces. Inde fruſtra qvoqve eſt *Bæclerus*, qvi *Diſſ. 5. ad Grot. Quies in Turbis pag. 206.* conſultiſſimum judicat conventionibus iſta definire, ut ita omnis litigandi via præcidatur: Mihi enim penitus perſvaſum, ſimiles conventiones,

cum

cum raro rarius omnia exprimant, non tam litigia adimere, qvam alere, non tam tricas ſolvere qvam nectere; Notiſſimi enim juris eſt, qvod qvæ pactis expreſſa non ſunt, ad ea non poſſit fieri interpretatio, Pacta enim ſunt ſtricti juris *l. 57. ff. de pact. l. 5. ff. de transact. Socin. V. 1. Conſ. 73. n. 4. Roland. à Valle V. 1. Conſ. 39. n. 5.* nec extenduntur ultra expreſſa. *Modeſt. Piſtor. V. 1. Conſ. 1. n. 29. & Conſ. 19. n. 10. Weſenb. V. 1. Conſ. 3. n. 29.* Qvod in contractibus & pactis non continetur verbis, habetur pro omiſſo *l. quicquid. ff. de V. O. Decian. V. 1. Reſp. 22. n. 4. Weſenbec. part. 1. Conſ. 15. n. 7.* cum ſibi imputent paciſcentes, qvod Legem conventionis cum potuerint non dixerint apertius *l. 39. ff de pact. l. 26. ff. de reb. dub.* E contra his objici poſſet, qvod regulæ bonæ interpretationis exigant qvandoqve, ut non nudis pactorum verbis ſtetur, ſed ad ſimilia fiat extenſio, cum ubi eadem ratio, eadem Legis diſpoſitio, idqve non tam juri ſtricto, ſed & juſtitiæ benignæ conforme, adeoqve id maxime admittendum in conventionibus inter Principes, qvarum interpretatio non fit ſecundum apices Juris Civilis, ſed ex æqvo & bono: At-

qve ſic utraqve pars his JCtorum & Politicorum Oraculis ſuam ſententiam corroborare poterit: Ne dicam unam particulam ſœpe occaſionem præbere cavillandi pacta & extorqvendi iniqvum ac plane alienum ſenſum: ut & generalibus terminis nunqvam ſatis tuto fideri, cum generalia varia interpretatione flecti poſſint, amplificari aut conſtringi pro cujusqve arbitrio & utilitate, in fraudem eorum, qvæ pacta ſemel ſunt, aut conventa: qvanqvam alias ea qvæ ſpeciatim expreſſa non ſunt, ſub generalibus terminis contineantur. Res plenius perſeqvenda: Conventum eſt inter Gentes, ne arma cujuscunqve generis ad inimicos deferantur, qværitur an & prohibitum armorum acceſſorium, qvorum nomine hîc veniunt Vaginæ, deferre: Fuere aliqvando interceptæ Vaginæ à Gallis, bello inter hos & Germanos flagrante, ex ratione, qvia Vaginis etiam ut Euſebius ad rem bellicam hoſtes inſtruuntur: qvanqvam id durum videbatur, qvia lanea & linea, qvæ ſunt neceſſaria ad veſtimenta militum, inter merces prohibitos non cenſetur; & Vaginæ non ſunt niſi indumenta Enſium: Mercator tamen,

(uti

(uti refert *Petrinus Bellus de re milit. part. 9. n. 26. ap. Zouch. p. 2. §. 8. qv. 10. & 13. de J. & Ju. int. Gent.)* merces amiſit, per juſtitiam, inqvit, caſtrorum, qvæ ſœpe fit absqve libris & non raro cum levi conſideratione: Sic ſi conventum, ne arma aut naves ad hoſtes deferantur, an ſi qvis ferrum ex qvo arma vel tabulas aut ligna, ex qvibus naves conſtruuntur, deferat, incidant in commiſſum, dubitari poterat. Qvia à compoſito ad materiam non bene arguitur, & ſtatutum vel Edictum pœnale non eſt extendendum. Similiter an ferro prohibito deferre, cotes ad acuendum ferrum cenſeantur prohibitæ; & pulvere prohibito idem de ſulphure reſpondendum, difficultate non caret: Eſt enim prohibitio ſtricti juris, & reſtringenpa potius qvam amplianda: tamen verius videtur cotes cum ad acuendum ferrum hoſtibus neceſſariæ, ferro prohibito ſimiliter eſſe prohibitas. *Vid. l. cotem ferro. ff. de publ.* & pulvere prohibito idem de ſulphure reſpondendum eſſe, utpote ſine qvo pulvis fieri neqvit, & hæc ſententia confirmatur ex ratione LL. ſimilia exportari prohibentium. *Stracb. de Mercat. parat. 4. n. 14.* Si

verbum victus in pactis expreſſum, ne ſcil. hoſtibus apportentur, qvæ ad victum pertineant, dubium ſane, an non victus appellatione & ſub dicta prohibitione veneat vinum, pannum, vel veſtes pro militibus, & medicina. Certe id vult *Alexander ab Jmola lib. 6. Conſ. 177.* eumqve ſeqvitur *Alber. Gentilis ad l. 43. ff. de V. S.* per textum illum in verbis, *qvæq; ad vivendum homini neceſſaria ſunt &c.* Dicitur enim victus, qvia vitam retinet, & verbum vivere non tantum ad cibum pertinet, ſed etiam ad veſtimenta, & ſtramenta & medicinam, ſine his eum vivere & ali & conſervari corpus non poteſt. *l. 232. §. ult. & l. 43. H. de V. S. l. 6. ff. de alim. & cib. leg.* Utrum Herba Nicotiana vulgo Tobacco ad hoſtes deferre liceat, pro utraqve parte rationes ſunt. Qvi id negant, contendunt herbam Nicot. inter victualia cenſendam, ſaltem ejus uſu Victualium conſumtionem portrahi, & eadem ratione confiſcandam qva Sal, qvo victualia à putredine ſervantur. Qvi affirmant, provocant ad Medicorum teſtimonia, qvi fumum Herbæ Nicot. non nutrire volunt; & JCtorum opiniones, aſſerentium, ut cunqve ſubdi-

ſubditorum bona à paritate rationis in commiſſum incidant, Exterorum tamen & amicorum, niſi verbis expreſſis interdicta ſint, confiſcationi non eſſe obnoxia *Zouch. de Jur. & Jud. int. Gent. p. 2. S. 8. qv. 12. Add. Hilliger. ad Donell. lib. 9. c. 12. lit. B. n. 108. Marqvard. de Jur. Merc. lib. 1. c. 16. n. 33. Briſſon. 4. Antiqvit. 4.* Qvanooqve ſolet inter Gentes conveniri, ne commeatu vel frumento ſublevemus hoſtem, qvod factum fœdere commerciorum inter Eliſabetham Angliæ Reginam, & Civitates Hanſeaticas inito, de qvo *cap. VI.* hîc intricati ſe offerunt qvæſtionum nodi, qvid ſub frumenti appellatione veniat, an etiam farina, panis, Legumina, & pecunia? Et qvantum ad farinam, pro negativa præcipue militat, qvod frumentum ad farinam redactum ita mutatum, ut in initia ſua redigi & ad formam priſtinam reverti non poſſit, ſpecies nova & à priori diverſa haberi debet *l. 78. §. 4. l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* Pro affirmativa (1.) qvia eadem eſt ἐσία frumenti & farinæ, ſicut eadem vini & aceti ἐσία eſſe dicitur *in l. 9. §. ult. ff. de contr. emt.* (2.) propter *l. 70. §. 1. ff. de legat. 3.* ubi lanæ appellatione venit etiam ea,

qvæ neta eſt: Majorqve videtur râtio in farina, ut ſub frumento contineatur, qvia in ea detecta potius frumenti ſpecies videtur, qvam nova effecta: ſicut dicitur de eo qvi ſpicas excuſſit *in l. 7. §. 7. ff. de acq. rer. dom.* (3.) qvia eadem prohibitionis ratio in farina, qvæ eſt in frumento, ne ſc. inopia hoſtis noſtra annona ſublevetur, idem ergo jus in utroqve ſtatuendum *l. 32. ff. ad L. Aqvill. vid. Andr. Dinner. de juſt. rer. pret. defin. qv. 4. Klock de Vectical. Concl. 54. lit. a.* Et qvoad panem, qvamvis frumenti appellatione panes non veniant, neqve contra panum appellatione frumentum, *l. 1. C. de frument urb. Conſtant. lib. XI. ibiq; Bartol. Joh. Bertachinus tr. de Gabellis. Oct. part. princ. membr. 2. n. 16.* Tamen panes prohibita frumenti apportatione contineri vult *Ripa tr. de Peſtæ tit. de remed. ad conſ. ubert. n. 42. ſeq.* qvia hæc videtur fuiſſe mens paciſcentium, ad qvam præprimis in omni reſpiciendum negotiorum interpretatione, *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Ex hac ratione idem dicendum videtur de Leguminibus, qvanqvam certum ſit, & in ſenſus incurrat, legumina non eſſe frumenta. *l. 14. in fin. ff. de alim. & cib.*

cib. leg. l. 77. de. V. S. Dinner de juſt. rer. pret. def. qv. 4. Sed qvid dicendum de pecunia an & hæc frumenti, ſ. mercis appellatione contineatur? Affirmat id *Gæddæus in l. 66. ff. de V. S.* & *Stracha de Mercat. part. 1. n. 75. ſeq.* (1.) ob *l. 7. §. 3. ff. ad SCt. Maced.* (2.) qvia mobilium appellatione venit pecunia numerata, ergo & mercis. *l. 39. ff. de V. S. l. 79. §. 1. ff. de leg. 3.* Unde *Bald. ad l. 3. de naut. fœn. n. 3.* ait, qvod ſi navis aut currus, ratione mercium illicitarum confiſcatur, confiſcari etiam debeat pecunia in navi vel curru exiſtens. Negant vero *Jul. Ferretus de Gabell. n. 283. Carol. Molinæus tr. de Comm. & uſur. n. 694.* moti graviter *l. 1. ibi. nec ultra merx utrumq; ſed alterum pretium vocatur ff. de contr. emt. Marqvard tr. de Jur Merc. l. 2. c. 1. n. 16.* Uſum loqvendi conſiderandum cenſet, *l. 7. ff. de ſuppell. leg.* cum verba ſecundum vulgarem loqvendi modum potius accipenda qvam ſecundum juris intellectum *l. 3. §. ult. ff. eod. l. 18. §. 3. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Ex his credo abunde patebit, qvomodo magno labore inita pacta tam facili negotio collabi poſſint, nunqvam enim hominibus ad fraudem pa-

ra-

ratis deerit color aut effugium ne pacto ſte-
tur, cujus eos pœniteat, idqve nullis fœde-
rum aut conventionum formulis vitari po-
terit. Omnibus autem hujusmodi tricis
obviam it Jus Gentium, ac negotia inter
Gentes variis difficultatibus involuta extra-
hit, dilucidat, explanat; obſcura dubiaqve
clara reddit, ſi qve hoc jure nihil certi con-
ſtaret, omnia ſurſum deorſum irent, Gen-
tium negotia in incerto eſſent, & tranquilli-
tas humani generis magnum pateretur
naufragium: Qvid ergo Pacato circa com-
merciorum jus cum bellantibus Jure Gen-
tium liceat, trademus, qvantum ex hiſtoriis
comperire, & ex Jure Naturæ concludere
potuimus: Diſtinguimus ergo hîc perſonas
& res: Qvantum ad perſonas & populos ſc.
belligerantes, & cum qvibus commercia
exercere volumus, conſiderandum an ſint
Barbari, an Chriſtiani, ſi Barbarus unus ſit
bellantium, ad eum nullas merces deferre
licebit præter voluptuarias, & qvæ nullum
in bello uſum præbent, pernicioſum namqve
Orbi Chriſtiano Barbaros, qvos indigere
convenit, armis, ut validiores reddantur,
inſtruere; hinc LL. Civiles imponunt pœ-
nam

nam capitis & publicationem bonorum, qvi ad Saracenos portant arma, ferrum, & lignamina galearum, ut loqvitur *l. 2. C. quæ res exp. non deb.* Concordat Lex Hiſpaniæ. *tit. de las Vendidas.* Ubi textus in pr. dicit, *arma de fueſte, ni de bierno no deven vender los Chriſtianos alos Moros, ni alos enemigos de nueſtra fé. vid. Roderici Svarii JCti Hiſpani Conſil. de navib. transver. & export. merc. n. 3.* Inde cum anno 1555. Angli Mercatores qvidam ex Collegio Divi Eduardi, inſtructa claſſe per Oceanum Borealem Norvegiam prætervecti, ad Emporium Rutenicum, Sancti Nicolai nomine inſignitum, navigationem inſtituere cœperint; Immania hæc Anglorum auſa Rex Daniæ Chriſtianus ægerrime tulit, miſſi qvoqve à Guſtavo Sveciæ Rege Legati, advenere, enixe precantes, abſiſtere jubeat Rex Anglos à vetitâ navigatione: ne variis mercibus importatis, nimis augeantur opes, creſcatqve potentia Sarmatici Tyranni, qvi ſummum in circumjectas nationes imperium affectaret. *Joh. Stephanii Hiſtor. Danicæ lib. 2. pag. 83. & 84.* Et hæc Gentium obſervantia cum Jure Naturæ qvam maxime convenit. *Vid. Selden*

den de J. N. & G. ſecund. diſcipl. Hebræor. lib. 2. cap. 5. Qvod ſi uterqve Bellantium Chriſtianæ fidei ſit, tunc qvoad merces bellicas diſtinguendum, an Belligerantes Pacatos accedant, an vero Pacati Belligerantes; Si hi illos, libertas commerciorum ſvadet, æqvitas, qvam Pacatus erga belligerantes obſervare debet, exigit, & Jus Gentium, cui libertas commerciorum innititur, permittit, ut Pacati omnes merces, nullis exceptis, venales Belligerantibus præbeant, culpa remanente illi bellantium, qvi negligens fuit in intercipiendi alterius navibus, inſtrumentis bellicis onuſtis, nec id illis qvi extra belli conſortium poſiti, nocere, aut præjudicio eſſe poteſt. Inde cum anno 1648. Wrangelius grandiores machinas Gieſſæ à Cæſareis depoſitas à Georgio Haſſiæ Landgravio depoſceret, hic abnuit, nam ut machinæ tantiſper apud ſe deponerentur, concedendum fuiſſe ni jumenta ſubditorum ſuorum iis pertrahendis accommodare vellet: Inſuper uſu in Imperio receptum obtendebat, utriusqve partis bellantium res & arma cuſtodienda recipere illos, qvi neutras partes ſeqvuntur, *qvin & machinas ipſis con-*

ſtare

ſtare, alterâ parte hoc nomine haud qvaqvam actionem movente. *Pufendorf. Comm. rer. Svec. lib. 20. §. 4.* Et Chriſtina Sveciæ Regina durante inter Anglos &Batavos bello, fas credidit, concedere, ut Batavi tormenta bellica in ditionibus ſuis ad inſtruendam claſſem mercarentur *Pufend. Com. rer. Svec. lib. 25. §. 14.* Hæc diſtinctio qvoqve obſervata fuit in fœdere commerciorum anno 1654. d. 11. April inter Anglos & Batavos concluſo: Primo enim conventum, ut liceat utriqve emere atqve exportare cujuslibet generis arma, paratumqve bellicum: poſtmodum ſubjicitur, commercia cum alterutrius hoſtibus alteri interdicta non ſint, exceptis duntaxat mercibus bellicis, qvæ in prædam cedant absqve ſpe reſtitutionis *Pufendorf. lib. 26. rer. Svec. §. 2.* E contra ſi Belligerantes accedant Pacati, atqve ad illos merces bellicas deferant, id ipſis Jure Gentium non licebit, & impune eorum naves à belligerantibus capi poterunt, cum enormis læſio hic facile ſuboriri poſſit, ſi unus bellantium copiam rerum bellicarum habeat, indeqve facile Extraneorum auxilio ſuperſedere poſſit, alter autem nulla re magis qvam

bellicis

bellicis indigeat, hoc caſu enim ſi unum juvas alterum qvam maxime lædis, cum vires ejus attenuatas, fractasve reſtituas, atqve hic illud locum habet qvod apud *Procopium* legitur, *in hoſtium eſſe partibus, qui neceſſaria hoſti ſubminiſtrant.* (qvid autem nomine mercium vetitarum, Controbande Wahren veniat, id fœderibus commerciorum jam præmiſſis expreſſum. *Adi. Diether. in Contin. Theſaur. Pract. Beſol. Verb.* Krieg *& Gaſtel. de Stat. Publ. Europ. pag. 825. & 26.)* Hinc cum anno 1589. Angli naves Hanſeaticas bellico apparatu onuſtas in Hiſpaniam tendentes interciperent & urbes Hanſeaticæ ea propter apud Eliſabetham Angliæ Reginam ſe conqverentur, ipſis reſponſum à Regina, ſe præmonuiſſe ne apparatum bellicum ad hoſtes regni Angliæ ſubveherent, ſubvehentes licite intercepiſſe, nec aliter potuiſſe, niſi perniciem ſibi & ſuo populo ſponte attrahere maluiſſet: Eorumqve merces ſœpius detentas fuiſſe, qvod ardente bello Gallis commeatum ſuppeditaſſent, nec ſolum ab Anglis, ſed etiam eadem de cauſa à Carolo V. à Sveco, Dano, Polono, & Auraſionenſi Principe, idqve jure Gentium.

Neutra-

Neutralitatis jure ita utendum eſſe, ut dum alterum juvemus, alterum non lædamus. *Camden. Hiſt. Eliſab. part. 4. ad ann. 1589.* Similiter, cum anno 1595. Hanſeaticæ Citates apud Imperatorem & Imperii Ordines qverelas agerent, bona ſua in Luſitanica expeditione ab Anglis ademta, Regina per Chriſtoph. Perkinſum reſpondit, bona qvæ qværuntur ademta, fuiſſe bellicum apparatum, qvem in Hiſpaniam contra Angliam tranſvectari erant, cum tamen hoc ex privilegiis non liceret, & ne facerent, publice per eorum urbes denunciatum eſſe niſi hoſtium loco haberi vellent: naves eorum eſſe dimiſſas & nihil præter apparatū illum detentum fuiſſe, qvod jure belli & regni inſtitutis ſemper licuit. *Camden. part. 4. ad ann. 1595.* Aliud non inelegans exemplum eſt apud *Gramondum in Hiſt. Gall. lib. 9. pag. 430. Edit. Toloſ.* ubi Navim Batavam omni armamentorum genere onuſtam tendentem in ſubſidium ſectariorum ſeptimaniæ ab Eſpinauto Gallico Præfecto interceptam notat: Et cum Batavi *fidem publicam opponerent, ſædusq; Batavos inter & Gallos, ducto ex Jure Gentium argumento, prohibere injuriam obtenderent,*

derent; Exſpinautus excepit *ex fide, ex fœdere, ex Jure Gentium à Gente Batava ante violatis qvam ipſe violaverit: Sectariis Galliæ in Regem ſuum perduellibus, arma ab ab ipſis ſubminiſtrata: flagranti in crimine interceptis pœnam fore leviſſimam ex jactura armorum; proditorem ſe fore Deo & Regi, niſi exarmaverit, quod opportune in manu habet, & Dei & Regis inimicos.* Qvantum autem ad merces, qvæ in & extra bellum uſum præbent (uti ſunt pecunia, commeatus, frumentum, cannabis, pix, lignum, ferrum &c.) diverſum jus obtinet, eos enim impune ad unum vel alterum Belligerantium deferre Pacato licebit', cum enim (1.) Jam ſupra demonſtravimus etiam hoſti licere adferre merces non ſolum voluptuarias, ſed & alias; Inde neutri parti addicto ad minimum id, ſi non plus licebit, dum ille neutri Belligerantium inimicus, ac hoſtis, utrisqve interim amicus ac fœderatus, nihilqve commune cum controverſa cauſa habet, ergo neqve deterioris, ſed extra controverſiam pingvioris conditionis ac fortunæ eſſe debet. Inde (2.) qvi alteri inhibet, ne ad alterum belligerantium qvippiam afferat, agit non ſolum contra

tra Jus Gentium & Commerciorum libertatem,ſed & contra naturam, nam unæ terræ Deus non dedit omnia. Sic etiam uſus maris communis eſt natura omnibus, non ſecus ac uſus aëris: Nec in exteros, non ſubditos, qvis imperium habet cum ſupremi Principes ac populi extra ſe aut ſupra ſe nullum agnoſcant ſolium aliud aut tribunal inde ultra territorium jus dicenti impune non paretur *l. ult. ff. de jurisd.* & qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, regula naturæ eſt, & cordibus noſtris inſcripta. *Add. Wilhelm. Neumaier tr. de Neutral. cap. 9. th. 9.* Imo (3.) hoc abſurdum exinde ſeqveretur, qvod qvam primum duo inter ſe bello colliſi, ſtatim omnes alii, qvibus cum altera, vel utraqve belligerantium parte firma interceſſit animorum, commerciorumqve conjunctio, huic bello ſe nulla ſvadente cauſa implicare, & vel continuatione, vel ceſſatione commerciorum communium alteri parti adhærere teneantur. Qvo facto omnia Neutralitatis jura collaberentur conſ. M.Z. Boxhornii Diſqviſit. Polit. Caſ. 41. p. 177. Inde in Mandato Imperatoris Matthiæ, anno 1615. Potentiſſimo cuidam Regi exhibito dicitur,

qvod

qvod talis inhibitio, ne Pacatus ad alterum Bellantium merces transferat, qvæ præciſe non bellicæ ſint, ſed & extra bellum uſum præſtant, ſit contra Jus Gentium. Teſte *Marqvard de Jur. Merc. l. 1. c. 16. n. 37.* Adde qvæ Capite VI. uberius à nobis tradita.

CAP. III.

Anglos & Batavos non poſſe prohibere Svecor. ac Dan. cum Gallis commercia ex titulo Dominii Maritimi.

EX hâc Juris Gentium doctrinâ jam unicuiqve, niſi cui plane occæcata mens, colligere facile, qvod Arctois Regnis merces qvæ in & extra bellum uſum præſtare poſſunt, ad Gallos ut amicam Gentem deferre liceat; & ut eo magis de hoc jure conſtet, nullaqve dubitandi anſa in contrarium relinqvatur, ſinguli, prætextus, qvi aliqvem colorem Attendatis Anglorum & Batavorum conciliare poterint, plenius ac ſingulatim diſcutiendi erunt. Siſtit ſe autem primo loco & ad examinandum ſe offert, num ex titulo Dominii maritimi tale qvid Pacatis liceat? ſeu an in Dominio maritimo inveniant Batavi & Angli aliqvod fundamentum,

vi

vi cujus Svecos & Danos à tranſitu Maris arcere poſſint? Nobiles hæ controverſiæ (1.) De Dominio maritimo, an Mare Dominii capax (2.) De effectu Dominii maritimi, an hoc Dominium alteri jus det impediendi tranſitus, inter Excelſa ingenia hoc ſeculo valde agitatæ: Inter qvæ claſſicum canunt Hugo Grotius Batavus, & Johannes Seldenus Anglus. Ille in *tr. de Mari Libero & de J. B. & P. l. 2 c. 2. §. 13. & c. 3. §. 8. ſeqq.* demonſtratum it, Mare occupari non poſſe, bene tamen partem Maris, qvæ terris qvaſi clauſa ſit, talem autem occupationem jus non dare impediendi tranſitus innoxii. Seldenus autem tr. de Mari Clauſo ſeſe Grotio oppoſuit, ac vult Mare occupari poſſe, ac hujus occupationis eſſe eam vim, ut exteri non poſſint præter navigare, niſi veniâ prius à Domino Maris impetrata: Uterqve, uti communiter fit, invenit ſuos Aſſeclas, ſuosqve adverſarios. Grotius paſſim cenſuram, eorum, qvi ad ipſum commentati, incurrit. Seldenum oppugnant *Graſwinckelius tr. Vindiciæ Maris Liberi. Moriſot in Orbe Maritimo, Stypman tr. de Jur. Maritimo. p. 1. c. 4. Iſacius Pontanus duobus Di-*

cuſſionum hiſtoricarum libris. Et incircà omnes Juris Civilis Interpretes, qvi tanqvam mercenarii & glebæ adſcriptitii, in probandâ Veterum JCtorum opinione de communione maris, ne ſc. autoritas Juſtiniani periclitetur, ac vileſcat, inſudant: Qvænam autem ſint rationes, qvas Hugo Grotius pro aſſerenda Maris Libertate, aut Joh. Seldenus pro evincendo Dominio maritimo allegant, lippis & tonſoribus notæ, inde harum recapitulatione chartam maculare non vacat: Altera ergo controverſia magis huc facit, qvippe non tam de Dominio Maris, qvam de effectu Dominii maritimi inter ſummas poteſtates agitari ſolet, digna inde, ut Seldeni, qvi nimis avidus in proferendis Imperii Dominiiqve finibus Bœclero audit, rationes recenſeamus. Hic *lib. 2. de Mar. Clauſ. cap. 20.* varia allegat exempla, qvod Reges Angliæ Hiſpanis atqve Gallis conceſſerint, ut tuto navigare illis liceret per univerſos Angliæ diſtrictus & Dominia tam per Mare qvam per terram. Sic etiam cum Urbes Hanſeaticæ enixe ſœpius ab Eliſabetha Angliæ Regina petiiſſent, ut liber eis eſſet per Mare Anglicanum tranſitus cum annona in Hi-

ſpaniam

ſpaniam flagrante ſc. inter eam & Hiſpanum bello, tunc licentia ejusmodi eis negata tam Dominii maritimi cauſa, qvam ne hoſtibus commeatus adferrentur. Sic anno 1597. a Chriſtierno IV. Daniæ Rege libera frumenti & annonæ vectio in Hiſpaniam à Regina petebatur, ibi nullam aliam libertatem præter eam qvæ ex Reginæ, velut Itineris Dominæ, arbitratu pendebat, ſœpius iterata petitione, obtendi. Et Johannes Svecorum Rex literis, qvibus anno 1587. ad Eliſabetham Reginam datis veniam mercium in Hiſpaniam trajiciendarum, petebat, faſſus eſt, neceſſe ei fore, *maritimas Reginæ ditiones pertranſire*, qvæ literarum ſunt vocabula. Sic Johannes Rex Angliæ Edicto omnes naves per Mare arreſtari i. e. ſiſti, ſive capi & in Angliam adduci imperioſe ſatis jubebat, qvod nihil aliud eſſe videtur, qvam Maris per qvod tranſirent, Dominum ſe indubitanter profiteri. Seldeno ut Anteſignano omnes ferme Angli Studio partium & amore in Patriam agitati, ſubſcribunt, ac noviſſime adhuc Philippus Medou in tr. anno 1689. lingva Anglica Londini edito, cui titulus, *Obſervations concerning the Domi-*

nion and Sovereignity of the ſeas. Verba Autoris in gratiam intelligentium, qvoniam liber admodum rarus, hîc adſcribere placet: In præfatione inqvit, that in the year 1665. England was then in open war with Holland, and, as previous thereto, the Parliament granted a Royal aid, the end rohere of is publick ly declared in the Preamble of the Act, *viz. To eqvip, and ſet out to Sea a Royal Navy, for the preſervation of his Majeſties ancient and undoubted ſovereignity and Dominion in the ſeas.* Et in *cap. 2. pag 7.* All Foreigners are excluded by virtue of ſuch Dominion from a general Liberty (without firſt asking and obtaining ſpecial Licence) of putting out upon the Britiſch Seas Ships fitted and eqvipp'd for war, when and in what Number they pleaſe. The reaſon is plain, becauſe 'tis the territory of another Prince; and to enter it without leave with an armed force, and in ſuch numbers, as may juſtly occaſion fear and ſuſpition of Danger, is a publick hoſtility. The *Perſians* were reſtrain'd by pact and League made with the *Athenians*, from entring with armed

med Veſſels within the *Cyanean* and *Chelidonian* Islands; but had the *Perſians* acknowleged the therritorial property of thoſe Seas to have been in the People of *Athens*, there had been no need of ſuch Pack, for in the reaſon of the thing it ſelf abſtracted from Covenant, it had been as much an Hoſtility to have entred thoſe Seas with a Fleet of war, as to have landed an Army upon *Attica*, for both were eqvally the Athenian Territory *Et pag. 13.* Our Laws-Books ſaid, The ſea is of the Ligeance of the King, and parcel of his Crown of Engeland; *Le Mer eſt del Ligeance del Roy & parcel de ſon Corone d'Engleterre.*-- A child born at ſea in any of the King's Schips, or other Engliſch Veſſel, novigated by Engliſch maſter and Crew, is a Native; if born upon the Land of Engeland, in any Fort or Town poſſes'd by Ennemy, 'tis born out of the King's Ligeance, ond therefore an alien. *It. cap. 4. pag. 26.* In the year 1652, the States General gave publick Notice by their Ambaſſadors here in England, that they had reſolved to fit out to Sea an Extraordinary Fleet of one hundred an

 fifty

fifty men of war, beſides thoſe in preſent ſervice, for the ſe curity and Preſervation of their Navigation and Commerce. They did not ask leave to do it, but firſt reſolv'd upon it, and then gave notice, and they pretended this Notice was an argument of their Sincerity and good will, in order to prevent all miſunderſtandings, and ſiniſter interpretations. But they in England underſtood id otherwiſe, and reſented it as Bravado and Inſult. Huic ſententiæ etiam qvidam ex noſtris JCtis adſtipulantur, ut *Bartol. in rubr. ff ut in flum. publ. Strach de Navig. n. 6. & 7. Angelus Conſ. 290. & ad l. 13. ff. de injur. Hieron. Schurff. Conſ. 29. cent.* 3. ubi Reges Hiſpaniæ & Daniæ navigationem in Indias & Islandiam, aliasqve Inſulas ab ipſis prius occupatas & in provinciæ formam redactas prohibere aſſeverant. *Add. Dinner de juſt. rer. pret. qv. 3. n. 24.* Nolumus hîc amplius ἐπέχειν, ſed & qvid nobis in ſimili caſu ſtatuendum videtur, ſubjungamus; & qvidem in anteceſſum notandum putamus, Mare eſſe ex eorum numero, in qvibus rei ſubſtantia & uſus differunt, & invicem ſeparari poſſunt; Subſtantia Maris eſt,

qvod

qvod conſtet ex alveo, littore & aqvâ profluente, uſus in ſale coqvendo, navigando, lavando, piſcando. Duplex autem de hoc mare occurrit qvæſtio, (1.) an facto hominum naturaliter occupari poſſit, (2.) poſito hoc, an jure occupari poſſit? Primam qvæſtionem affirmo (1.) qvia occupatio eſt actus qvo res in cuſtodiam noſtram redigitur, in poteſtate autem noſtra eſt illud, qvo uti nos poſſumus & ab ejus uſu alios arcere (1.) per claſſem ſive ope navium, ſicut terra per milites defendi poteſt. (2.) ex littore ingreſſus in mare prohiberi poteſt. Ratio ſecunda eſt, qvia tota terra facto hominum occupari poteſt, & actu jam eſt occupata: Si ergo terra poteſt occupari, ergo etiam Mare, qvia hoc eſt pars terræ, inde tota terra occupata maria etiam videntur occupata: qvod apparet ex exemplis Marium qvæ occupata actu ſunt, ut Mare Hafnicum à Danis, Hadriaticum à Venetis: ita Piſani vicinum omne Tyrrhænum Mare, Genouenſes Liguſticum ſui juris fecerunt. Inde Venetos omnem ſuperioritatem & jurisdictionem civilem ac criminalem in Mare Adriatico habere dicit *Baldus in rubr. de rer. di-*

 viſ.

viſ. num. 2. Add. Peregrin. de J. Fiſc. l. 8. n. 14. ſeq. Salic. in l. 3. C. de naut. Fœn. Strauch de Imp. Mar. c. 3. §. 1. ſeq. Cæpolla tr. de ſervit. urb. præd. c. 16. n. 3. Joh. Palat. de Dom. Mar. l. 2. c. 6. Medous Obſerv. of the Dom. and ſover: of the ſeas, pag. 2. & 3. Hertz nell' Ritratto di Venetia Part. 2. p. 539 Kornman tr. de triplic. annulo. part. 2. n. 13. Et Mare ab antiqvis occupatum ſimiliter eſſe firmat vetus formula deditionis ap. *Livium lib. 1.* in qva non ſolum urbes, agri & alia, ſed & aqva in deditionem venire dicitur. Et *Tacit. lib. 4. Annal.* de Romanis inqvit, Italiam utroqve mari duæ Claſſes Miſenum apud & Ravennam præſidebant. *Add. Liv. lib. 8. Dec. 4. Flor. lib. 2. c. 6. Polyb. l. 1. hiſt. c. 7. Diod. Sicul. lib. 20. Hiſt. c. 63. Euſeb. Chron. lib. 1. n. 940. p. 31. & 115.* Nec obſtat dicta maria eſſe admodum exigua; nam ex hoc ſaltem evincitur, qvod vaſta maria non adeo facile, ſed difficulter occupentur, non vero qvod occupationem plane reſpuant, ac natura impoſſibile ſit ea occupari. *Conf. Pontan. lib. 2. Diſcuſſ. hiſt. cap. 2.* Minus adhuc ad rem faciunt, qvæ Grotius pro probanda ſua ſententia adducit: nam qvod dicitur, liqvida non poſſe occupari,

qvod

qvod terra mari contineatur, Mari non poſſe infigi limites. Vaſtum eſſe Oceanum, eumq; omnibus æq; inſervire poſſe, id omne falſum (1.) Falſum qvod maris natura conſiſtat in re liqvida, conſiſtit enim in toto illo, qvod conſtat ex alveo, littore, & aqva profluente (2.) Qvoq; falſiſſimum, conſtat enim Mare littoribus terræ contineri, ſi enim non contineretur, totam terram ſuperflueret. Et Autores qvos Grotius pro ſua parte adducit, ſaltem tradunt, qvod cauſa phyſica, cur terra non dilabatur in partes, ſit, qvod illam contineat aqva cum aëre, ac inter hæc terra qvaſi naviget, non vero, qvod extrema maris terra non contineantur, nec mare habeat terminos terreſtres, qvæ diverſiſſima. (3.) Inſtantiam, mari non poſſe infigi limites Cromwellius jam tum diluit, cum Pacificatione Anglo-Belgica anno 1654. Belgas intra decem a littoribus Anglicanis milliaria abeſſe juberet. Unde ſi milliaria in mari determinari poterant, certe nec limites plane reſpuet, præſertim cum & Nautæ terminos in mari conſtitutos ſatis bene noſcant. (4.) Argumento a vaſtitate Oceani deſumpto, qvodqve omnibus æqve inſervire qveat,

facile ſatisfiet, ſi conſideremus, qvod & terra vaſta, omniumqve uſum explere potuerit, & nihilominus tamen in certas partes diviſa, exactiſſimisqve limitibus determinata ſit. Secunda qvæſtio eſt, an Mare jure occupari poſſit? Reſp. totum Mare ab uno populo excluſis aliis non poteſt occupari, non magis qvàm tota terra, qvia totum corpus aqveum conditum totius humani generis cauſa; Per partes tamen poteſt occupari, uti terra, mare enim eſt pars terræ, ergo hîc eadem ratio. Inde ſeqvitur jus utendi illa parte occupata, & arcendi ab illo alios: Excipitur tamen uſus ac jus navigandi omnibus hominibus commune, ſicut in terra jus tranſeundi omnibus commune manet; hoc nomine enim Mare territoriorum vicem qvaſi ſubit. *Add. Stypman. de J. Marit. l. 1. c. 4. & 5. Loccen. de J. Marit. l. 1. c. 4. Moriſot in Orb. Marit. l. 2. c. 19. Pontan. Diſc. Hiſt. l. 1. c. 21. Vaſqv. Ill. Qvæſt. lib. 1. c. 89. Medows Obſerv. of the Dom. of the Seas. chap. 1. pag. 6. & 7.* Non autem competit Jus tranſitus per aliena maria occupata, ex capite innoxiæ utilitatis, ut perperam *Grot. l. 2. c. 2. §. 13.* putat, ſed inde, qvia uti

dixims

diximus, uſus maris communis eſt omnibus hominibus natura, id probatur (1.) à medii neceſſitate, Sine qvibus jus qvod competit, non poteſt expediri, illud licitum; Jure Naturali inter homines Societas conſtituta, hujus exercitium tollitur, ſi ad Gentem nullus eſt aditus. (2.) Eodem modo Jura Commerciorum Jure Naturali conſtituta inter Gentes: atqve illa qvoqve tolluntur penitus ſublato tranſitu; Natura enim fructus terræ omnium hominum cauſa producit, qvoniam itaqve non omnia fert omnis terra, hinc ſeqvitur, qvod ſublato tranſitu excluderentur homines à fructibus, qvi apud ipſos non ſunt: Excluderentur à neceſſitatibus humanis, qvia multæ terræ tam incultæ, ut incolas alere non poſſint. (3.) Qvia jus tranſeundi eſt aliqvod individuum, inde occupari non poteſt, qvoniam itaqve hoc jus individuum, ante occupationem omnibus hominibus competit, poſt occupationem competere non poteſt, qvia territoria ſaltem poſſunt dividi: Nec obſtat aliò poſſe tranſiri: nam idem dici poſſet de tranſitu per terram, qvod ſc. per fluvium Mare iri poſſet, atqve ita totum illud jus illuderetur. Huc

pertinet illud *Senecæ lib. 4. de Benefic. c. 28.* Deus qvædam in univerſum humano generi dedit, a qvibus excluditur nemo: nec enim poterat fieri, ut ventus bonis Viris ſecundus eſſet, contrarius malis. Commune autem bonum erat patere commercium Maris, & regnum humani generis relaxari. Idem confirmat Eliſabetha Angliæ Regina ap. *Camden. ad ann. 1580. & 81.* dum Hiſpanico in Anglia legato reſpondit: Rei alienæ donationem & imaginariam proprietatem & præſcriptionem, qvæ obtendat Rex Hiſpaniæ, nihil obſtare qvo minus cœteri Principes commercia in Indicis regionibus exerceant, ac Oceanum libere navigent, cum maris & aëris uſus omnibus ſit communis: Nec Jus in Oceanum populo aut privato cuipiam poſſit competere, cum nec naturæ nec uſus publici ratio occupationem permittat. Item, Principes non habere ejusmodi in mare dominium, ut navigantibus ejusdem uſum non minus qvam aëris prohibeant. *Camden. ad ann. 1602. Add. Grot. Mar. Lib. cap. 13. Nolden de Nobilit. c. 2. n. 56. ſeq. Zouch. de Jur. & Jud. int. Gent. p. 2. Sect. 3. §. 10.* Qvod ſi ergo nullo jure uſus

Maris

Maris prohiberi poſſit, ſedis omnibus ſummo jure pateat, inde haud neceſſum ducimus, qvod Seldenus atqve ipſius Aſſeclæ prætendunt, ut is qvi tranſiturus eſt, DominumMaris ob tranſitum compellet, qvia (1.) Jure Naturali ſuo jure uti qvis poteſt ſine alterius venia ac conſenſu (2.) qvia cum tranſitus maris debeatur Jure Naturali unicuiqve, inde Dominus Maris tranſitum impedire non poteſt, ſi impedire non poteſt, fruſtra eſt compellatio, hæc ergo non juris, ac neceſſitatis eſt, ſed humanitatis. Ex his itaqve abunde ac ſolide conſtabit, in caſſum agere, Anglos & Batavos, ſi in probanda cauſa, cur Svecis atqve Danis commercia cum Gallis qvoad dictas merces interdixerint, ad titulum Dominii Maritimi recurrere velint, atqve in eo refugium qværere, nam uti ex veris ac genuinis Juris Naturæ ac Gentium principiis hactenus antevertimus, uſum ſc. navigandi omnibus eſſe communem, indeqve illum a nemine prohiberi poſſe: Ne dicam qvod & ipſi Angli & Batavi adhuc de Dominio Maris inter ſe contendant, ac litigent, ac propterea non una vice acriter colliſi, illis Dominium Maris ſibi vindicantibus,

tibus, his liberum mare eſſe obtendentibus, adeo ut hæc propria inter eos diſſenſio ſola ſufficiat, qvod titulum Dominii Maritimi pro valida cauſa prohibitiva commerciorum cum Gallis obtrudere ac ſuggerere haud valeant.

Cap. IV.

Anglos & Batavos non poſſe prohibere Svec. ac Dan. commercia ex capite injuſti belli à Gallis illati.

AN ergo qvod Galli injuſtum bellum gerant, Anglis ac Batavis jus natum Svecorum ac Danorum cum Gallis commercia ſufflaminare? Si plures bellum gerant, ei opem ferre oportere, qvi juſte bellum gerit, defendit *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 15. n. 13. & l. 3. c. 17. n. 3.* E pigliando la gverra il Prencipe, s'appigli al gjuſto. Ut loqvitur *Bernard. Rocca* in ſeiner Krieges-*Diſcurſ. l. 1. c. 11. Add. Les Eſſais de Mſ. de Montaigne l. 3. ch. 1. f. 719.* Qvin ſi evidentiſſima ſit hoſtis noſtri in nos injuſtitia, & exteri eum in bello iniqviſſimo confirment, non tantum civiliter de damno, ſed & criminaliter teneri, ut is qvi Judici imminenti reum manifeſtum

ſtum eximit,& in eos ſtatui poſſe, qvod delicto convenit, ita ut intra eum modum etiam ſpoliari poſſint,ut cenſet *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 1. §. 5. n. 3. in fin. Add. Loccen. de J. Marit. lib. 1. c. 4. n. 9. Marqvard de Jur. Merc. l. 1. c. 16. n. 34. & Alber. Gentil. lib. 3. cap. 16.* Et licet Grotio largiamur, eum, qvi neutri parti addictus, non debere hoſti meo injuſtam cauſam foventi ullo modo ſuccurrere, aliàs ipſum teneri de damno, ac res ipſius ac naves intercipi poſſe; attamen nemo inficias ibit, qvod hîc cauſæ æſtimatio, ſi ſc. hunc juſte, illum iniqve arma induiſſe judicabis, admodum periculoſa, cum qvis facile periculis partium poteſt involvi. *Bœcler. Diſſ. 5. Qveis in Turb. p. 203. & 4.* Imo & illud obſtat, qvod uterqve belligerantium hoſtem ſuum injuſtam belli cauſam fovere, ſe autem juſte bellum vel inferre vel excipere contendat; perſœpe autem ignoretur, & admodum dubium, cui credi debeat, in qvo & perſpicaciſſima ingenia fallere poſſunt! nam in naturalibus, & moralibus diſciplinis non æqve ut in mathematicis invenitur certitudo, harum enim formæ nihil interjectum habent, ſicut inter rectum & curvum nihil

eſt

eſt medii, at illarum formæ ſolent habere latitudinem; ſic æſtas calida & ſicca, hyems frigidum & humidum judicatur,& inter hæc medium eſt Ver, nec calidum nec humidum, & Autumnus qvi nec frigidus, nec ſiccus eſt, ſed utrumq; temperatum: Ita & in præſenti caſu ſœpius nulla invenitur certitudo vera, niſi dixeris hanc intentionem belligerantium, dum qvisqve juſtam cauſam ſe habere putat, id operari, ut neuter injuſte bellum gerere vel excipere credatur, eodem modo ac Jure Civili, ex hac intentione excuſantur litigantes, qvondo utrinqve juramentum calumniæ præſtant ſe credere ſe habere juſtam litigandi cauſam. Qvicqvid ſit, ſi dilabamur ad hypotheſin, ac perſcrutemur, qvisnam Belligerantium, Angli & Batavi, an vero Galli juſtiorem belli cauſam foveant, major difficultas ſeſe exſerit. Qvod ſi de bello Gallorum cum Imperio Germanico ſermo eſſet, ſalva res foret, horum enim invaſiones in Imperium tantũ juſtitiæ hactenus præ ſe tulerunt, qvantum adhuc hodie Anglorum ac Batavorũ ληςρικὴ, vel etiam poſſeſſio Ducatus Bipontini, Svecis a Gallis contra omne jus ac fas erepti, de qvo appoſite di-

ci

ci poterat illud, qvod a Romanis JCtis proditum eſt, Prædonem eſſe eum, qvi rogatus de poſſidendi cauſa, nullam aliam adfert, niſi qvod poſſideat. *l. pro hærede. §. fin. & LL. ſeqq. ff. de hered. petit.* Et eleganter *Augustinus lib. 4. de Civit. DEI cap. 6.* Inferre bella finitimis & inde in cœtera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, qvid aliud qvam grande latrocinium nominandum eſt. *Add. Anonymi liber, cui titul: Re Schiavo di ſue cupidità, overo Idea delle procedure, è machinationi ambitioſe della Francia dopo la Pace di Nimega ſino al preſente. It. Les Moyens de delivres l' Europe de l' Uſurpation de la France. Kulpis in not. ad Monzamb. de St. Imp. Germ. c. 2. §. 5. p. 297. cum ſeqq.* Die Keyſerl. Antwort auff das Frantzöſche *Manifeſt*, oder *Declaration* von *18. Octobr. an. 1688. Due propoſitioni eſſibite alla Corte Papale dal Sign. Cardinale d' Eſtrè in nome del ſuo Principale it Re di Francia. Propoſitio a Comite de Lobkowitz exhibita an. 87. Regi Galliæ. Reponſe donnée a Monſ. le Comte de Lobkowitz de la part. de ſa Majeſté Tres-chrétienne, a Verſailles le 6. Mai. 1687.*

&

ibi. Come el Rey de Franzia no gvarda paz, ni tregva, y con todos los Principes de Europa ha ſido infractor de ſus Tratados. -- movio la Gverra al Emperador ſin cauſa, ſin razon, ni motivo, ſolizitando en Ungaria a un tiempo la rebellion a ſu Prinzipe: La injuſta Gverra hecha en el Palatinado con incendios execrables, no practicados aſta ahora por las mas Barbaras naziones &c. Sed miſſis his, nobis hîc ſolummodo inqvirendum reſtat in juſtitiam, vel injuſtitiam belli, qvod contra Gallos ab Anglis & Batavis geritur, qvi primitus arma apprehendiſſe nobis videntur, dum Regem Angliæ Jacobum, Ludovici fœderatum bello petierunt. Sed qvo jure? Videtur Batavorum cauſa belli impulſiva ad duo præprimis capita reduci poſſe (1.) qvod ideo contra Jacobum arma ſumſerint, qvia ipſis conſtabat arctum illud fœdus inter Jacobum & Ludovicum Regem Galliæ initum, nihil aliud comprehendere, qvam mutuum horum Regum nexum in perniciem Batavorum; vel etiam (2.) qvod plurimi ſubditorum Regis Jacobi Principem Auriacum in ſubſidium contra Regem jura

atqve

átqve libertátem ſuorum ſubditorum deſtruentem vocarint: Qvantum ad primum caput, in eo jus qvod qværunt Batavi, non invenient, nam ex eo qvod conjecturemur fœdus inter duos Principes potentes initum tendere in noſtram pernitiem, non licebit unum vel alterum ex his bello petere, qvia alias bellandi nec finis nec modus eſſet, ſed homines ſub hoc prætextu, toties qvoties vanus pruritus eos ad pugnam concitaret, ad arma proſilirent, ac in bellum belluarum inſtar ruerent, qvo ipſo tranqvillitati generis humani parum conſuleretur, ſed multum decederet: Optime Cicero, *in omni Republica maxime conſervanda ſunt jura belli, nam temere in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt.* Ut ut ergo maxime in bello defenſivo prævenire liceat vim non præſentem, cum in moralibus & naturalibus punctum non invenitur ſine aliqva latitudine, non ſufficit tamen ad talem præventionem qvaliscunqve metus ac ſuſpicio, ſed juſtus reqviritur metus. *vid. Decius Conſil. 603.* debetq; conſtare de potentia & animo alterius, & qvidem ita ut certum id ſit eâ certitudine,

qvæ

qvæ in morali materia locum habet. *H.Grot. de J.B. & P. l. 2. c. 22. n. 5.* qvanqvam ſuffi-ciat qvaliscunqve metus ad apparatum de-fenſionis & conſcribendum militem. *Vid. Straub. Diſſ. Exot. 9. n. 15.* Magis ergo pal-pabile Batavos ad ſecundum caput provo-caturos, qvod & inde colligo, qvia cum Mi-les Belgicus Duce Principe Auriaco in An-gliam eſſet trajiciendus, non volebant Fœ-derati Belgii videri bellum gerere, ſed tunc prætendebatur cauſam ad illos non ſpecta-re, neqve ſe velle huic negotio immiſcere, ſed Principi Auriaco ab Anglis contra Re-gem in ſubſidium vocato Claſſem & militem ad inſtantiam ipſius ſaltem datum; Ratio ſa-ne pro colorando hoc facto, uti mihi qvi-dem videtur, ſatis jejuna, & nimis longin-qvius petita. Qvicqvid ſit, duo hoc in nego-tio præprimis ventilatione digna (1.) an An-gli Regis ſui pertæſi ob ademtam aliqvatenus populo libertatem jure potuerint Principem Auriacum in ſubſidium evocare (2.) an Prin-ceps Auriacus jure potuerit arma capere pro alienis ſubditis, ut ab his injuriæ Impe-rantis arceantur. Qvod primam qvæſtionem concernit, Angli ſuarum actionum inveni-

ent

ent Patronos ac Præcones in Monarchomachos, qvi cruda hæc & ſeditioſa inculcant, ſc. Rege contra datam fidem agente & adimente populo libertatem, poteſtatem omnem in ipſum collatam deſinere, eumqve fieri ſicut unum ex nobis, ac per conſeqvens Regem à ſubditis throno dejici poſſe, neqve eos ullo modo amplius obligatos eſſe ad ipſi obediendum: Inter hos fere agmen ducunt, *Stephanus, Junius Brutus, Althuſius, Seyſellius, Buchananus & Miltonius*; qvorum nefario ac pernicioſo dogmati ſeſe oppoſuerunt *Arniſæus, Albericus Gentilis, Claudius, Salmaſius, & Job. Barclajus* integris libris; ſingularibus autem Epiſtolis *Caſaubonus*, & *Bochartus*. Qvorum rationes ex ipſis Autoribus peti poſſunt, cum omnium ferme manibus teruntur: Interim firmiter perſvaſi ſumus, qvod cum Majeſtas ſit in Civitate ubiqve ſumma poteſtas, inde à populo judicari aut reſiſti ei regulariter non poſſe (1.) enim id vis Vocabuli *Summa* infert, vid. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. n. 7. ibiq; Bœcler. Bodin. de Republ. l. 3. c. 5. Pufendorf. de J. N. & G. l. 7. c. 2. n. 3. & 4. Tillet en ſes memoires liv. 1. ch. 1.* (2.) id patet ex intentione ineuntium

euntium Civitatem, qvorum ab initio hæc fuiſſe videtur, ut adverſus ſummam Poteſtatem ſibi nihil juris relinqverent, nam finis ſocietatis poſtulabat, ut in ordine imperandi & parendi inſtituendo aliqvis eſſet, cujus male facta alium Judicem præter Deum vindicem non ita facile haberent, ſed qvod ille diceret, id pro omnium & ſingulorum voluntate haberetur. *Vid. Hobbes de Cive. cap. 5. & 6.* Les Princes ſur leur peuple ont autorité grande, Mais Dieu plus fortement deſſus les Rois commande. (3.) id patet ex natura negotii, populus enim dum ſemel ſe omni poteſtate abdicavit, omneqve Jus Rempublicam adminiſtrandi in Principem transtulit, nullum jus habebit malas actiones Principis judicare, nam omnem ſuam vim & potentiam in aliqvem transtuliſſe, nihil aliud eſt, qvam de jure ſuo reſiſtendi deceſſiſſe, ut bene animadvertit *Hobbes de Cive cap. 5. n. 11.* Inde ſi Princeps Rempublicam male adminiſtrat, populus de eo ſe conqueri non poteſt, ſed debet patienter præſentem Servitutem pati. Hanc in rem Valentianus Imperator Militibus, qvi ipſum Imperatorem fecerant, poſtulantibus, qvod ei non

pro-

probaretur, reſpondit ſecundum *Sozomenum in Hiſtor. Eccleſiaſt.* *ut me ad imperandum Vobis eligeretis, in Veſtra ſitum erat poteſtate, O milites, at poſtqvam elegiſtis, qvod nunc petitis, in meo eſt arbitrio, non Veſtro. Vobis tanqvam ſubditis, competit parere: Mihi ut Imperatori qvæ facienda ſunt cogitare.* Inde optimum Taciti præceptum, bonos Imperatores voto expetere, qvaleſcunqve tolerare. *lib. 4. Hiſt.* It. ferenda Regum ingenia, nec uſui crebras mutationes *lib. 12. Annal.* Atqvi hæc doctrina etiam cum Jurisprudentia Divina competit, qvam laxam enim poteſtatem ſuos in ſubjectos Principes habeant, Deus per Samuelem Populo Iſrael præſcripſit. *1. Sam. c. 8. verſ. 11. ſeqq.* (qvi textus loqvitur de Jure, & non de facto Regis, ut perperam putant *Junius Brutus in Vind. cont. Tyrannos & Wilhelm. Schickard. in Jure Regio Hebræorum*) Et ne populus Iſrael contra Principes ſuos qvippiam auderet, contra inobedientes Divino ex præcepto conſtituit jus Moſes. *vid. Deuter. 17. verſ. 12.* Inde Paulus Apoſtolus *ad Rom. c. 13.* inqvit. Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀντέστηκεν. An ergo Reipublicæ

ni-

nihil in Tyrannum liceat,ſed ei in detrimentum Civium graſſari impune permittendum? Reſp. Licet Populus tam facile reſiſtere non valeat ſummæ Poteſtati,ob abdicatam ſemel á ſe poteſtatem & translatam in Principem; Attamen ſi Princeps omnia jura Reipublicæ evertat, præſentem Reipublicæ ſtatum deſtruat, veram religionem tollat, ac in modum Juliani Apoſtatæ reformet, ſeſe hoſtem Reipublicæ præbeat, nullaqve ſpes emendationis, qvin publica autoritate regno dejici poſſit, nullum dubium. Dum enim incipit Princeps eſſe veriſſimus Reipublicæ hoſtis, deſinit eſſe Civis ſ. pars Reipublicæ, cujus ipſe præcipuum membrum eſt, & tum alia ipſius cauſa ſit, alia Reipublicæ. Ex his ſeqvitur (1.) qvod Princeps male Rempublicam gerens non ſtatim pro Tyranno habendus. ſit(2.) qvod Tyrannus regno ſolummodo privari poſſit. Non autem (3.) occidi (qvæ fuit doctrina pernicialis Jeſuitarum, imprimis *Joh. Marianæ de Inſt. Reg. l.* 1. *c.7. & 8. conf. L' hiſtoire de Lovis XIII. Roy de France par. D. J. D. S. pag. 44. & Gramond. lib.* 1. *Hiſt. Gall. p.59. Edit. Toloſ.*) Exemplum in V. T. præbet David, qvi Saulum

utut

utut peſſimum Principem interficere noluit. Qvem locum, ubi *D. Ambroſius* attingit *lib. 3. Offic.* qværit, cur noluerit? & reſpondet (1.) *habuit rationem pietatis, qvia noluit in Dei unctum manum attollere: habuit qvoqve rationem prudentiæ, qvia noluit dare exemplum ſubditis in futurum, itaq; pro Deo & pro ſe fecit.* Hinc eſt qvod Cæſaris cædem probare non poſſim. *Senec. Trag. 8. Add. Remarqves ou Reflexions Critiqves Morales & hiſtoriqves ſur les plus belles penſées des Anciens & Modernes. Refflex. 199. p. 385.* Nec ſupplicium Neronis. *Sveton. in Neron. c. 49. Tacit. l. 15. Annal. c. 52.* Multo minus Caroli II. Regis Angliæ: de qva lege *Lamberti Sylvii Flor Anglic. p. 193. ſeq. Hiſtoriæ Parliamenti Angliæ Breviarium, autore T. M. Ziegler de Regicid. Angl. Batæi Elenchus Motuum Angl. Salmaſii Defenſio Regia. Boſcobel ou Abrege de ce qvi s' eſt paſſe dans la retraite memorable de ſa Maj. Britan. apres la Bataille de Worceſter.* Εἰκὼν βασιλική *of the King Charl. II. Printed at London 1648.* (4.) Seqvitur ſi Tyrannus ſit deponendus, hanc mutationem Imperii publica autoritate inſtituendam eſſe, neqve privatis

permittendam. Privati enim ſœpe ſunt depravatæ opinionis, ignari conſiliorum publicorum & arcanorum Imperii, & odiſſe ſolent Imperantium actiones, utpote qvibus præter humile omnia ſordent. Hinc optime inqvit *Trajano Boccalini in Raggvaglio 18. Cent. 1.* che ſotto le Monarchie, dove la vil plebe per ſe era incapace, da ſaper diſcernere il Prencipe legitimo dal Tiranno per la commodita grande, che l'ignoranza del popolo dava agli ambitioſi, ai ſeditioſi, agli amatori delle novitadi, alli diſperati delle coſe loro familiare, di altrui col pinelli de falſi preteſti, coi colori delle hypocriſie dipingere gli ſcelerati Tyranni per Prencipi legitimi, i Prencipi legitimi per crudeli Tyranni, affine che il mondo non ſi empiſſe di uccìſioni, e di eſſecrande confuſioni, &c. *Add. Dialogve des Rois Lovis XI. & Lovis XII. dans les Camps Eliſées. f. 38. ſeq. & Hiſtoire de l'Etat preſent de l'Emp. Ottom. par Mſ. Riccaltio. liv. 1. c. 4. f. 67. 68.* (5) Demum ſeqvitur depoſitionem fieri non poſſe, niſi in urgentiſſimo caſu, & qvando nulla ſpes emendationis; ac in eo licet imitari Medicos, qvi nunqvam urendo vel ſecando utuntur, niſi ad deſperatos

ratos

ratos caſus, & ubi nulla alia ſpes recuperandæ ſanitatis: Inde malum Principem ejicere non licitum, Peſſimum autem naturalis ratio, ut & Jus Divinum permittit. Qvodſi ergo ex his ſanioris prudentiæ politicæ principiis de facto Anglorum qvod ſc. ſe Regi Jacobo opoſuerint, & Principem Auriacum in ſubſidium vocarint, dijudicari liceat, nobis ac cuivis, cui ſana mens, fatendum erit Jacobum fuiſſe unum ex iis Principibus, qvi inter malos referuntur, dum non ſecundum Leges & Pacta Rempublicam adminiſtravit, non autem qvi inter peſſimos cenſentur; nam eo nondum deventum erat, ut Jacobus ſe geſſiſſet pro hoſte Regni, dum in qvibusbam ſaltem hactenus reformationem ſuſceperat, neqve etiam omnis ſpes emendationis aberat; Accedit qvod degradatio Regis Jacobi, & vocatio Principis Auriaci in ſubſidium, non facta fuerit publica autoritate, conſenſu ſc. totius Parlamenti ſed ſaltem à qvibusdam Privatis, qvo caſu nec Tyrannum ac Principem peſſimum è regno ejici poſſe, à nobis jam evictum. Conſtat ergo qvod nullo jure degradatio Regis Jacobi defendi poſſit. An ergo pro ſubditis alie-

nis defendendis juſtum ſit bellum, ut ſc. ab ipſis injuriæ imperantis arceantur? Vid. diſtinguentem *Grotium de J. B. & P. l. 2. c. 25. §. 8.* Nos cum *Pufendorſio de J. N. & G.* putamus, qvod qvis poſſit arma capere pro alienis ſubditis, eo caſu qvo ſubditi immanem ſuperiorum ſævitiam armis rectè à ſeſe poſſint amolire. Inde ut à theſi deveniamus ad hypotheſin, dicimus, qvod cum Anglis non fuerit jus ſeſe opponendi Regi ſuo Jacobo, inde nec Principi Auriaco arma pro Anglis capiendi. Et qvanqvam hîc particularia quædam concurrant, ſc. Principem Walliæ eſſe ſuppoſititium, cum Rex Jacobus ad procreandum inhabilis, &c. uti in multis ſcriptis Hollandi divulgarunt, cujus commatis etiam eſt liber, *Le Batard ancien Protecteur du nouveau.* It. *Les Moyens de delivrer l'Europe de l'uſurpation de la France. Les amours de Meſſaline* atqve ſic videatur ex mala intentione Jacobi qvod Principem Auriacum cum ſua Conjuge à ſucceſſione excludere voluerit, ſuppoſito alieno partu jus eſſe natum Principi Auriaco, huic malo in tempore occurrere, ac jus ſucceſſionis, qvod ipſi vel Conjugi Suæ jure competeret,

ante;

antea ſibi aſſerere, ac vindicare, anteqvam id ipſi ab altero interverti poterat; Attamen omnia hujus generis, qvæ in Hollandia de Jacobo circumferuntur, potius ſatyram ac ſabulam, qvam veritatem ſapere videntur, qvod nemini mirum eſſe poteſt, cui ſc. de genio ſatyrico hujus Gentis conſtat: Inde eſt, qvod ex eo certi qvid inferri aut concludi adhuc neqveat: Tali autem caſu qvid obtineat. *Vid. Puſend. de J. N. & G. l. 7. c. 8. §. 10. Add. H. Grot. l. 1. c. 4. §. 15. & l. 2. c. 6. § 5.* Qvanqvam forſe id de Principe Auriaco non dixerim, cum ob communem conſenſum Anglorum Rex legitimus factus ac actu exercitium omnium jurium, qvæ Regi alias competunt, habet: forſe eodem modo ac Jure Civili & inter privatos, re pendente & lite nondum deciſa, omnia manent in priſtino ſtatu, qvia novi Regis electio Regi legitimo præjudicare non poteſt, in eum enim ſemel jam translata eſt à populo omnis poteſtas, inde omne jus regni penes ipſum manet, utcunqve poſſeſſionem amiſerit: qvo pertinet Lucani illud de Senatu Romano.

 Non

Non unqvàm perdidit ordo
Mutato ſua jura loco.

Neqve populus hanc poteſtatem regiam, ut a ſe abdicatam cum amplius non habeat, in aliam conferre poteſt, niſi vel prior Rex mortuus, vel ſponte jus ſuum ceſſerit, vel etiam manifeſtæ tyrannidis reus poteſtatem ſuam amiſerit: Hæc itaqve omnia ſaniori doctrinæ conformia credimus, nihilqve prolatum putamus, qvod in unius vel alterius injuriam tendere poſſit, aut alias dictum non volumus: Eum enim in finem ſaltem hæc ex limpidiſſimis prudentiæ politicæ fontibus aliqvantulum fuſius deducere placuit, ut ſc. illud conſtet, qvod hoc capite demonſtrare voluimus: nempe ex titulo injuſti belli a Gallis illati Anglos & Batavos Svecis ac Danis commercia cum Gallis prohibere non poſſe, cum Angli unà cum Batavis nihil præcipui habeant, de qvo circa juſtitiam belli ſe præ Gallis gloriari poſſint: Fruſtra inde agunt, atqve in vanum laborant, ſi in hoc principio fundamentum intentionis, ac cauſam impulſivam prohibitæ navigationis ad Oras Gallicas ponere velint.

CAP.

CAP. V.

Anglos & Batavos non poſſe inhibere Svec. ac Dan. ad Gallos commercia ex capite fœderis cum illis initi.

DUæ ſunt imprimis cauſæ, qvæ Gentes ad fœdera pangenda impellunt, Indigentia ſc. commerciorum, & neceſſitas auxilii mutui ad defenſionem nempe contra vim externam, aut repetitionem ejus qvod nobis debetur. Inde fœdus eſt vel mutuæ aſſiſtentiæ, vel Commerciorum, vulgo Commercien tractat; utrumqve initur ob diverſas cauſas, diverſa hîc reqviruntur pacta, inde nec unum cum altero qvidpiam commune habet; hæc qve principia cum adeo clara ſint, certitudinemqve mathematicam habeant, inde naturali ratione dictante ſeqvitur, qvod licet Sveci ac Dani non tam Pacati, qvam Batavorum & Anglorum fœderati dicendi videantur, ob fœdus nuper inter ipſos initum, de ſe invicem ſuppetias ferendo contra qvoscunqve inſultus hoſtiles, id tamen commerciis nihil præjudicare, cum ejusmodi pacta & fœdera ſemper intelligantur, ſalva libertate commerciorum, qvam clauſulam ut perpetuo

annexam habent, & qvæ ea ſeqvitur ut ſymptoma corpus; qvippe cum illis fœderibus nihil negotii habent commercia, qvibus ſaltem promittitur mutua aſſiſtentia contra inſultus hoſtiles, qvis enim dixerit, me propter pactum particulare ob certam rem cum altero initum, ideo privari iis qvæ ſunt Juris Gentium, & qvæ toto humano generi in qvocunqve ſtatu etiam hoſtili competunt. Harum ergo rerum cum diverſa ſit natura, atqve diverſa cauſa, inde etiam diverſus erit effectus, cum res diverſæ uno eodemqve jure cenſeri non poſſint: Dicta ſeqvens notabile ac illuſtre exemplum adhuc magis illuſtrat: Fœdere ſc. inter Svecos & Belgas anno 1645. inito, cavetur articulo qvidem VI, ut neuter confœderatorum hoſtem qvi nunc in præſens hoſtis eſt, aut deinceps enaſci poterit, conſilio, ope, pecunia, commeatu, milite, navibus, nautis, armis, pulvere pyrio, aut munitionibus, ullisve bellicis rebus aliis juvet. Articulo autem ſeqvente VII. additur, Licet vero neutri Confœderatorum licitum ſit, hoſtem ſui confœderati, dictis priori articulo, rebus juvare, id tamen ita erit interpretandum, ut navigatio atqve uſus commer-

merciorum liber ſit ſubditis cujusqve; cum hoſte fœderati, qvi alia de cauſa qvam ob hoc fœdus, bello cum fœderatorum altero fuerit immixtus; ut ſalvo hoc fœdere, ſubditis ejus, cui bellum non eſt libere liceat navigare & commercia ſua qvæcunq; exercere cum ſubditis hoſtium dicti fœderati. *Vid. Bœcler Diſſ. 5. Quies in Turb. ad Grot. p. 208. & 218.* Sic cum anno 1653, bello inter Anglos & Hollandos commiſſo, hi Svecorum commercia turbare ac naves abripere inciperent, jactantes eam mercium ſubvectionem capiti fœderis de non juvando hoſte repugnare, iis reſponſum fuit: Fœdus commercii uſum non prohibere. *Pufendorf. Comm. rer. Svec. l. 25. §. 39.* Præſtent igitur Angli ac Batavi, ad qvod Jus Gentium eos obligat, ac naturalis ratio pactaqve conventa aſtringunt, i. e. libera commercia cum Gallis Svecis atqve Danis integra atqve ſalva relinqvant, & ſic exacte rurſus præſtabunt Sveci atqve Dani, ad qvod pacto ac fœdere ſeſe obligarunt, alias nec ad id ullo jure tenentur: Singula enim capita cujusvis fœderis conditionis vim habent, qvaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam ſi & alter faciat qvæ

promiſit: *conf. Alberic. Gentil. lib. 3. c. 24. Ayala lib. 1. c. 6. n. 17. Grot. l. 3. c. 19. §. 14.* Inde Henricus IV. Rex Galliæ non obſtante fœdere Vervinenſi anno 1598. inter ipſum & Hiſpanos inito, qvo inter alia cautum erat, ne Rex Batavis ſuccurreret, nihilominus hos anno 1608. tam pecunia qvã militibus juvavit, idqve ideo, qvia Hiſpani erant, qviprimitus alio tempore pacem fregerant. Non obſtant le Traité de Vervin, ſelon leqvelle le Roy s'etoit obligé de ne point aſſiſter les Hollandois ni directement, ni indirectement Toute fois il n'avoit pas laiſſé de les ſecourir toûjours d' argent, & de faire paſſer a leur ſervice grand nombre de Nobleſſe & de Volontaires, tellement qv' il y avoit pluſieurs Regiments Francois tous entiers. Ainſi ce n' etoit pas ſans qvêqve raiſon apparente, qve les Eſpagnols crioient, qv'il enfraignoit viſiblement le Traite de Vervin. Mais ces reproches n' etoient pas juſtes, parce qv' ils l' avoient rompu les premiers par cent attentats. *L'hiſtoire de Henry le Grand par Perefixe f. 422.* Et cum anno 1509. Naves qvædam Lubecenſium a regiis Danicis, poſt factam jam Nicopingæ pacem detentæ fuerint,

rint, bonaqve direpta, inde & hi ſibi qvoqve viciſſim licere pacta conventa violare judicantes, octodecim grandes naves, frumento, ſale, panno, & bellicis munitionibus onuſtas, Stockholmiam miſerunt. *Vid. Crantzii Vandol. & Saxon. Contin. pag. 133.* Eodem modo cum Belgæ anno 1653. auxilia ex fœdere anni qvadrageſimi qvinti à Svecis expoſcerent, fuit reſponſum, Belgas usqve adeo illius fœderis nullam habuiſſe rationem, igitur nec Sveciam amplius teneri fœdere, qvod ipſi Belgæ prius abruperint. *Pufend. l. 25. rer. Svec. §. 40.*

Cap. VI.

Anglos & Batavos non poſſe inhibere Svec. ac Dan. cum Gallis commercia ex Jure Gentium.

Videndum an ex Jure Gentium Angli ac Batavi facto ſuo aliqvam ſpeciem ac colorem conciliare poſſint; nec dubium eſt, exſtare hîc qvorundam Gentium exempla, qvæ Pacatis libera cum altero belligerantium commercia haud permiſerunt, ſed ea qvantum poſſibile fuit, impeditum ivere: Neqve hîc Angli ac Batavi neceſſe habent, ad exterorum exempla

recurrere, eâqve ex longinqvo qværere, cum domeſtica ipſis in promptu ſint: ſc. exorto anno 1652. inter Anglos & Batavos bello, hi prohibuerunt ſub pœna confiſcationis, picem, linum, cannabim, ſimiliaqve materialia, qvæ inimicis ſubſidio eſſe poterant, in Angliam ferre. *Conf. Obſervations concerning the Dominion and Sovereignity of the Seas by Sir Philip. Medows, Knight, chap. 4. pag. 24. & 25.* Sic qvoqve Eliſabetha Angliæ Regina Anno 1599. publico Edicto prohibuit, ne qvi neutros partes tenerent, ullo modo merces in Hiſpaniam ferrent. *Vetant populos qvoscunqve ullos commeatus, resve alios in Hiſpaniam ferre, inqvit Grot. Hiſt. de reb. Belg. lib. 8. p. 372.* Inde Naves Hanſeaticæ eò qvod merces prohibitas v. g. frumentum, qvo tunc temporis Hiſpania indigebat, aliasqve proviſiones præprimis navales, commodas ad reparandam claſſem, qvæ paulo ante grave damnum paſſa erat, Hiſpanis ſubminiſtraverant, captæ, mercesqve fiſco addictæ. *Vid. Camden. ad ann. 1589. Thuan. Hiſt. lib. 95.* Et in Oratione ſuâ Regina Angliæ Legato Poloniæ, qvi nomine ſui Regis expoſtulabat, Jus Gentium eſſe

ſe

ſe violatum in commerciis cum Hiſpano affine ſuo prohibitis, reſpondit ap. *Camden. in Hiſt. Eliſab. ad ann. 1597.* Qvod Jus Gentium toties in Oratione tua uſurpas ſcire debes, exorto inter Reges bello licere uni parti auxilia, vel ſubſidia ad alteram miſſa intercipere, & providere ne damni ſibi inde qvidpiam exiſtat: Hoc nos dicimus Naturæ ac Gentium juri eſſe conſentaneum. *Add. Alber. Gentil. l. 1. de Jur. Bell. cap. 21. & de Advocat. Hiſpan. l. 1. c. 20.* Sed parum vel nihil hiſce rationibus obtinebunt Angli & Batavi; qvanqvam enim in confeſſo, nihil commerciorum prohibitione uſitatius eſſe, exinde tamen nihil evincitur, nam aut pacta & conventiones inter ſummas Poteſtates circa modum commercia cum hoſtibus exercendi adſunt, aut non; Si non adſint, recurrendum ad Jus Gentium erit, videndumqve in qvibusnam rebus illud Pacato commercia cum belligerantibus permittat, jam poſito, Juri Gentium conſentaneum eſſe, uti & certe eſt, qvod Pacatus ad Belligerantes merces in & extra bellum utiles afferre poſſit, certo ſi in eo qvid contra fiat ab uno belligerantium, & hîc libera alias commercia

Pacatorum impediat, nullum dubium qvin in Jus Gentium impingant, ejusqve attentata tanqvam acta contra rationem ac uſum inter Gentes receptum conſideranda ſint, ac per conſeqvens ejus prohibitio, ne merces ad alterum belligerantium deferantur, ut omni jure invalida nullum effectum habebit, nec ad Jus inter Gentes conſtituendum efficax erit, cum non facta per ſe, ſed jure & ratione munita conſiderari debeant, & exemplis non judicandum, ſed Legibus. *l. 13. C. de ſentent, & inter loc. Cotman. Vol.* 1.*Conſ. 18. n. 189.* Inde poſito nulla hic adfuiſſe pacta, qvin facto hoc Anglorum & Batavorum læſum Jus Naturæ ac Gentium, tralatitium; Qvod ſi autem pacta ſpecialia hîc ad fuerint, ſalva res eſt, hujusmodi enim pacta ſunt conventiones particulares, a Jure Gentium recedunt, illudqve limitant, indeqve ex iis nihil inferri poteſt, qvod omnes obliget, cum tanqvam inter alias acta aliis præjudicare nec poſſunt, nec debent, neqve natura eorum patitur, ut paciſcentium perſonas excedant: Talia autem pacta inter Eliſabetham & Civitates Prutenicas & Hanſeaticas extiterunt, teſte Camdeno, qvibus

cautum

cautum erat ne Civitates Prutenicæ ac Hanſeaticæ Regni Angliæ hoſtes commeatu juvarent, his diſertis in privilegio verbis: *Licebit prædictis mercatoribus, qvo voluerint tam intra regnum & poteſtatem noſtram, qvam extra, mercantias ſuas portare ac portari facere, præterqvam ad terras manifeſtorum & notoriorum hoſtium.* Qvod & Regina per Burghlejum Theſaurarium, Admirallum, Robertum Cecilium, & Forteſcuum ab intimis Conſiliis Polono Legato inter alia nunciari juſſit. *Add. Janſonii Mercurius Gallo-Belgicus, tom. IV. lib. 19. pag. 328. ſeqq.* Qvod autem imperioſam Eliſabethæ reſponſionem concernit, illam, ſi hiſtoriam conſulamus, Reginæ ex juſto fervore excidiſſe patet, utpote qvæ Oratoris Poloni libertate, qva in orando uſus ipſi videbatur, multum offenſa, indigneqve ferebat, qvod hic poſtqvam Reginæ tradidiſſet literas, more in Anglia inſolito ad inferiorem Conclavis partem, vulto ad Reginam obverſo, retroceſſit, ac ibi alta voce, Oratione Latina conqveſtus, Jure Gentium violato, commercia cum Hiſpanis a Regina prohibita, qvæſitoqve inde colore bona in fiſ-

cum

cum eſſe abrepta: Hæc Polonum negligere non poſſe, cum ob damna ſuis illata, tum etiam ob affinitatem, qvæ ipſi cum Hiſpano & Auſtriaca familia intercedit. Proinde ablata reſtitui, & liberam jam inde in Hiſpania navigationem permitti poſtulat; Sin minus, denuntiat, Polonum rationes initurum, qvibus ſuis ſuorumqve ſubditorum rebus conſulat, & eos reſipiſcere faciat, qvi injuriæ authores extiterunt. Indeqve Regina extemplo hominis audaciam hiſce verbis compreſſit. Qvam decepta fui? Legatum exſpectavi, Heraldum inveni. Per totam vitam hujusmodi Orationem ne audivi qvidem. Non poſſum ſatis mirari tantam audaciam & temeritatem. Qvod ſi tale aliqvid Rex tuus tibi mandaverit, qvod valde dubito, ideo factum exiſtimo, qvod Juvenis cum ſit, neqve ordinaria ſangvinis ſucceſſione ſed electione ad Regnum nuper promotus, non adhuc intelligat rationes hujusmodi negotiorum, nec ea qvæ nobis cum ejus Prædeceſſoribus interceſſerunt. Ad te qvod attinet, multos qvidem libros legiſſe nobis videris, ea tamen qvæ ad res Politicas pertinent, parum intelligere &c. *Vid. Camden. p. 4. Hiſt. Eliſab. p. 694.*

694. & 95. Etſi igitur jure poterat Regina Civitates Prutenicas & Hanſeaticas a commercio cum Hiſpano excludere, tamen peritiores exiſtimabant, ut obſervat Thuanus, imprudenter à Regina atqve adeo ab Anglis factum eſſe, ut tam alieno tempore Civitates Vandalicas cum Poloniæ, Daniæ ac Sveciæ Regibus ſocietate conjunctas, exigui lucri cauſa irritaverint, nam inde evenire potuiſſe, ut ad tantam injuriam ulciſcendam Hiſpanos annona, navibus & apparatu bellico juvaſſent, qvibus ille inſtructus novam claſſem inſtruere & rurſus Angliam feliciori fortaſſis exitu adoriri potuiſſent. *Vid. Thuan. Hiſtor. l. 96.* Idem ferme judicium ferendum de prohibitione illa liberæ navigationis a Batavis facta, de qva vid. *Philipp. Medou in his Obſerv. concerning the Dominion of the Seas ch. 4. p. 24.* Hæc ergo exempla, & ſi qvæ adhuc alia adduci poſſent, nihil inferunt, ſed in contrarium ac pro nobis ſtat Gentium obſervantia, qvæ non immerito optima rerum humanarum interpres dicitur. *l. ſi de interpretatione ff. de LL. Surd. Deciſ. 94. n. 37. Decian. V. 4. Conſ. 44. n. 28. Simon de Prætis de ult. Volunt. interpr. 2. dub.*

dub. 1. ſolut. 2. n. 14. Præclarum hanc in rem exſtat exemplum apud Georgium Pachymerium, autorem *αὐτόπτην*, *hiſtor. Byzant.* 2. 4. de Chryſeenſibus, qvi in bello Latinorum adverſus Byzantinos, etſi inter utrosqve medii habitarent, tamen Neutrales ſe gerebant; idqve ſine periculo. Namqve *uterq; hoſtium indigebat eorum opera*, & metuebat, ne hoſtiliter tractati ad alteros ſeſe adjungerent, plurimumqve momenti ad ſe opprimendas adferrent. *Vid. Berneger. Qvæſt. in Tac. qv. 155.* Flagrante inter Philippum Pulchrum Franciæ & Gvidonem Comitem Flandriæ bello, cum Reginerius Grimaldus Gallicæ Claſſis Præfectus (Maiſtre de la Navy du Roy de France, tum eum aliæ Nationes vocabant) Mercatores in Flandriam præter navigantes interceptos bonis ſpoliaſſet, inſurrexit contra Regem Franciæ tota ferme Europa Maritima, ut Angli Genouenſes, Catalonni, Hiſpanni, Alemanni, Zelandi, Hollandi, Friſii, Dani, Norwegi, præter alios Imperio Romano-Germanico ſubjectos, *vid. Selden. de Mar. Clauſ. lib. 2. c. 27. pag. 501.* Et anno 1458. Lubecenſis Civitas ſignificationi a Dantiſcanis ſibi factæ,

ctæ, ne cum Malgenſibus, & Memelenſibus Dantiſci hoſtibus mercaturam exerceret, parendum non cenſuit. Sic qvoqve 1522. flagrante inter Svecos ac Danos bello, cum Danus Anſiaticas Civitates rogaſſet, ne cum Svedis commercia haberent, qvædam Civitates amicitia ipſius indigentes, moram geſſere, aliæ non item. *Vid. H. Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 1. n. 3. in not.* Eodem modo cum anno 1469. Chriſtianus I. Rex Daniæ claſſem in Sveciam armaret, hæc qvæ navem Lubecenſem plurimis onuſtam mercibus, ceu hoſtilem, qvod e Svecia adveniret, alteramqve e Livonia invaſiſſet. Lubecenſes mox commercia ſuſpenderunt, & Legatum ad Regem miſêre, qvi erepta reddi poſtulet, & cum id diſtractis multifariam mercibus fieri non poſſet, cautum fuit ne deinceps damnum ullum paterentur: Cumqve eodem anno Rex Lubecam veniſſet, qverentes damna accepta mercatores audivit, ac putato uniuscujusqve damno, partem ejus ære præſente ſarſit; de cœtero vero cavit, Chilone urbe atqve arce pignerata. *Joh. Meurs. Hiſt. Danic. lib. 1. p. 16. 17.* Chriſtiani Succeſſor ac filius Johannes, anno 1493.

Lube-

Lubecenſibus per Ablegatum ſignificari juſſit, ne Svecos, qvoniam ipſi cum his bellum, commeatu aut armis juvent, alias eos hoſtium loco habiturum; Cui Lubecenſes reſponderunt; *Cauſam eam ad ſe minime pertinere: ſe, obnoxios neutri parti mercaturam exercere, ideo neqve libera navigatione interdicere qvenqvam poſſe*: miſſus poſtmodum a Jacobo IV. Scotiæ Rege Legatus ad Lubecenſes, qvi idem urgebat: Herum ſuum Joanni avunculo contra Svecos perduelles juſta arma capienti, opem ferre ſtatuiſſe. Ac proinde Civitates illas monitas velle, ne in Sveciam qvicqvam inferant, qvod rebellioni gentis confirmandæ uſui ulli eſſe poſſit: Si qvæ contra qvid auderet, eam hoſtis loco fore. Cui reſponſum fuit: *Poſtqvam merces & pecunias ac negotiationis ſuæ ſocios, toto illo regno haberent, maxima ſuarum rerum ſe jacturam affectum iri, ſi commerciis uſitatis excludantur tum iniqꝫ ſecum agi, ſi fortunis iſtis ſuis, ob diſcordiam utriusqꝫ ejus regni, evertantur. Meurs: Hiſt. Dan. lib. 2. pag. 41.* Pace Vervinienſi inter Henricum IV. Regem Galliæ & Hiſpanos initam, cautum erat *art. 2, Ne unus alteri*

teri damnum inferret, nemini quavis aperta vel ficta ratione, in cujusvis eorum jacturam faveret. &c. Nihilominus Henricus IV. his non obſtantibus Belgas tum Hiſpanorum hoſtes, pecunia aliisqve rebus juvabat; & Oratori Hiſpano anno 1605. ſe ea propter apud Regem Henricum conqverenti, reſpondit. *Que pour ſon argent, il etoit en ſon pouvoir d'en faire ce qv'il luy plairoit, & de le preſter, ou de les donner ſans qv'on y puſt trauver a dire. Perefixe hiſtoire de Henry le Grand. part. 3. f. 406. Braudlacht Pacif. Auſtro-Hiſp. Gall. Hiſt. cap. 10. p. 79. Cardinal Oſſat Epiſt. 327.* Vid. tamen *Varillas Hiſtoire de Francois I. p. 318.* Sed forſan fortiora argumenta erunt, & magis ſtringentia, ſi Anglorum ac Batavorum propria exempla producamus, ex iisqve demonſtremus, qvod qvando Svecis &c. cum aliis bellum fuerit, Anglos & Batavos nihilominus libere cum hoſtibus Svecorum &c. commercia exercuiſſe. Item, qvod Angli ipſimet iniqvum judicaverint, tempore belli alias nationes bello non implicitas a promiſcuo commercio arcere, ſed hæc in mercibus qvæ uſum in & extra bellum præſtant, permiſerint. Primum

inſignia

inſignia exempla comprobant. Sic cum anno 1551. Lubecenſes Batavis denunciarent, ut a Danorum, qvos ipſi hoſtes tum habebant, commercio abſtineretur, Batavi non paruere; Ac bello ardente inter Sveciam & Poloniæ Regem nunqvam paſſi ſunt Hollandi ſibi aut hujus aut illius gentis commercio interdici, teſtante *H. Grotio de J. B. & P. l. 3. c. 1. in not.* Anno ſuperioris ſeculi 56. Guſtavus I. Sveciæ Rex, literis ſignificabat Regi Daniæ Friderico, qvomodo bello cum Ruſſis invitus culpa Magni Ducis Moſcoviæ implicitus. Cum autem Angli novum & inuſitatum per Mare Glaciale ut vocant, iter in Maſcoviam ad portum S. Nicolai ſibi aperuiſſent, prætervecti Norvegiam; qvod omnibus circum jacentibus regnis, ſed & Maris Balthici accolis & Civitatibus in æſtimabili damno futurum ſit, dum omnis generis vetita bellica inſtrumenta & arma ad Ruſſos deportarent, qvibus contra Chriſtianos nimis muniri, & ad exemplum Turcicæ potentiæ per Aſiam & Africam elatæ, etiam Imperium in Europam affectare poſſent. Proinde ſe amice deſiderare, ut Rex Fridericus & ſuo emolumento tuendo, & aliorum

Chri-

Chriſtiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, iſtum navigationis curſum Anglîs præcludere velit. Eodem & communium commerciorum nomine ad Reginam Angliæ (Mariam) miſit: ſed ab ea reſponſum accepit, ſe ſuis ſubditis libertatem navigandi, qvo velint, ex privilegio nactis, inhibere non poſſe. Velle nihilominus invectionem in Ruſſiam prohibere. Qvod tamen factum non eſt, nec de mutuis, commerciis certi qvid reſponſum. *Loccen. Hiſt. Svec. lib. 5.* Eodem modo anno 1644. Batavi neutiqvam omiſerunt commercia cum Danis tunc Speciæ hoſtibus. *Pufendorf. Comm. rer. Svec. lib. 25. §. 39.* Qvibus exemplis ad convincendum Anglos & Batavos qvid ſolidius eſſe poteſt? cum tanqvam pediſſeqvam habeat Juris Naturæ regulam: *Qvod qvisq; juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.* Et qvid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. De Eliſabetha Angliæ Regina legimus qvod flagrante inter Ipſam & Hiſpanos bello, cum Hanſeaticæ Civitates libertatem transvehendi merces in Hiſpaniam peterent, his reſponſum dederit a transvehendis armis, aliisqve bello

con-

conducibilibus abſtinerent, *in cæteris vero mercibus* (ſic Regina) *transvehendis nihil vos impediemus, ſed veſtrorum ſubditorum naves ſolito more commorari, & prætervehi omni cum favore permittemus, ut inſtitutam navigationem perficiant. Vid. Selden. in Mar. Clauſ. l. 2. c. 20. p. 423.* Et anno 1653. die 5. Jul. Bonello Commiſſario Svecico a Parlamento Angliæ reſponſum; Exceptis mercibus bellicis Anglos promittere, Svecorum navigationi qvaqva verſus nullum a ſe impedimentum allatum iri, & qvæ naves in ſuos portus abductæ ſunt, eas reſtituendas, reparatis qvoqve impenſis ac damnis. *Pufend. rer. Svec. lib. 25. §. 46.* Qvid? qvod cum anno hujus ſeculi 77. in Conſeſſu Parlamenti Anglicani de bello Gallis in adverſa Flandria præpollentibus inferendo deliberaretur, & inferioris conſeſſus ordines ſvaderent ut omnia cum Gallis commercia exteris qvoqve prohiberentur, reſpondit Carolus II. Rex Angliæ vix unqvam ſe exiſtimare fuiſſe Gentem, qvæ tam procaciter Orbem univerſum provocare auſa ſit. *Vid. Actes de la paix de Nimegve Tom. 2. f. 308.* Hæc ergo exempla cum infinitis aliis, qvæ adduci

adduci poſſent, ſi non præſentia ſufficerent, nemini qvidpiam dubii amplius relinqvere credo, qvod Jure Gentium non liceret Pacatis ad utrumqve belligerantium merces in & extra bellum utiles deferre, nec hanc libertatem vel ab uno vel ab altero citra injuriam reſtringi poſſe: Et licet, qvædam exempla adhuc in contrarium exſtarent, tamen ea non impediunt, qvin minus libera Pacati cum belligerantibus commercia in Jure Gentium ſint fundata; nam ut qvidpiam Juris Gentium ſit, non reqviritur omnium Gentium voluntas ac approbatio, uti id operoſe demonſtravit *B. Mev. in Prodrom. Jur. Gent. Inſp. 3. n. 6. & 7.* alias enim vix Jus Gentium fingi poſſet aut concipi, cum nullum datur Jus, qvod ab omnibus Gentibus in univerſum ſit receptum; Nobis inde ſuffecerit, qvod multæ Gentes, eæqve moratiores approbarint, ac conſenſerint in libera Pacati cum Belligerantibus commercia, atq; ita juris apud plerasqve eſſe, idemqve dictare rationem naturalem.

Anglos & Batavos non poſſe ſufflaminare Svec. ac Dan. commercia ex capite innoxiæ utilitatis, aut ex prætextu læſionis.

ULtimum patrocinium Anglorum & Batavorum in læſione poſitum eſt, qvorſum ſe præcipue conferunt, prætendentes, ne merces qvæ uſum aliqvalem in bello præſtare poſſunt, ad Gallos deferantur, alias enim horum vires nimis incrementum ſumere, qvod eſſet prolatandi belli anſam dare, cum Galli ſi nec cum Svecis nec Danis ipſis intercederet commercium, citius pacem appeterent, ſic enim cum tempore tam nervus rerum gerendarum ſc. nummi, qvam etiam aliæ res ad bellum atq; claſſem inſtruendam ac reſtituendam propter damnum elapſo anno receptum, ipſis deficerent; Atqve ſic in effectu Anglis & Batavis damnum Svecos & Danos inferre nemo non videt, cum & alias damnum dediſſe cenſeatur & is qvi occaſionem damni dat. *l. 4. ff. vi bon. rapt. l. 11. §. ult. l. 57. inf. ff. loc. l. 15. ad L. Cornel. de Sicar.* Cum tamen ille qvi neutrarum partium ſe profitetur id operari debeat, ne qvid faceat

qvo

qvo alteri parti faveat, alteri damnum inferat. *Conf. Bœcler Diſſ. 5. Qvies in Turb. ad Grot. pag. 202. & 203.* Idem eſt *Ambroſii* effatum. *3. de Offic. cap. 9.* ſi non poteſt alteri ſubveniri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari qvam gravari alterum. Locum etiam hîc illud Amalaſuenthæ ad Juſtinianum apud *Procopium 1. Goth.* habet in hoſtium eſſe partibus qvi bello neceſſaria hoſti ſubminiſtrat. *Moriſot. in Orb. Marit. lib. 2. c. 19.* Inde Civitatibus Hanſeaticis conqverentibus naves ſuas a Claſſe Anglica contra fœdus, qvo cavetur, ut illæ Civitates tuto poſſent amicæ eſſe etiam hoſtibus Angliæ, & cum iis commercia habere, ſpoliatas, reſpondit Regina Eliſabetha; Non eſſe hoc colere cum utrisqve amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros; imo hoc eſſe auxiliari hoſtibus, & cum his adverſum alios facere. *Alber. Gentil. de Jur. Bell. l. 7. c. 22. pag. 438. Thuan. lib. 96. Hiſtor. Add. Selden. Mor. Clauſ. lib. 2. c. 20. & Loccen. de J. Marit. l. 1. c. 4. n. 9.* Similia ſunt qvæ leguntur in libro Gallico, cui tit. *Les Moyens de delivrer l'Europe de l'Uſurpation de la France. Hagæ 1689. edito pag. 129.* Un etat neutre

 croit

croit etre en droit de porter a l'une & l'autre des parties ce qu'ils ont de beſoin, & leur marchans s'enrichiſſent de la depoville de ceux qvi ſe battent, je vondrois bien voir, come le Roi de Dennemarck, ſe pourroit defendre qvoad ſon Allié Lovis XIV. lui demondera de la poudre & du ſalpetre, pour de l'argent, qvi eſt ce dont il a plus de beſoin præſentement. Cependant il eſt facile a juger, qve ce ſeroit porter un grand prejudice aux ennemis de la France & les priver peutêtre d'un grand avantage, qv' ils purroient obtenir par le manqvement d'amunitions, c'eſt pourqvoi dans une ſi favorable conjoncture, les Alliés ne ſouffriront rien a leur prejudice, ni qvi puiſſe leur porter coop dans leur entrepiſes. &c. Et hæc qvidem aliqvam veritatis ſpeciem præbent, ſed re penitius perpenſa, apparente cum vero collato, & diſcuſſis ſingulis argumentis, apparuit, has rationes nihil ſolidi in ſe continere, nihilqve qvod Svecis aliisqve Pacatis præjudicio eſſe poſſit, propugnare. Nam (1.) jus meum metu tuo non tollitur, aut inimicis tuis jus meum commercia libere cum Vicinis exercendi, & illa

qvæ

qvæ ſuperſunt ipſis pretio concedendi, minui poteſt; ſed potius inhumanum fuerit & iniqvum impedire aliqvem, qvi res, qvibus abundat, apud volentes diſtrahere vult, qvo minus neceſſaria qvibus caret, inde ſibi comparare qveat, *Add. Bœcler. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 20.* In his caſibus enim, ut *Cic. lib. 3. Offic.* ſcribit, ſuum cuiqve incommodum ferendum eſt potius, qvam de alterius commodis qvidpiam ſubtrahendum. Imo (2.) damnum Batavis & Anglis a Svecis & Danis inferri non videtur: Inter certiſſima enim juris enunciata eſt, neminem damnum facere, niſi qvi id facit qvod facere jus non habet. *l. 151. de R. J. l. 49. §. 1. ad L. Aqvil. l. 2. ff. ne qvid in loc. publ.* & jure ſuo qvi utitur, nemini facere injuriam. *l. 13. §. 1. de jurej. l. 3. §. 11. ff. de lib. hom. exhib. l. 55. de injur. l. 26. de damn. infer.* Cum ergo Sveci ac Dani jure ſuo utantur, neminiqve damnum inferant, ac libero cum Gallis commercio intereſſe atqve lucrum proprium ſolummodo qværant, hoc ipſis a Batavis & Anglis prohiberi non debet, etſi id aliqvantulum cum eorum incommodo fiat, niſi alias contra Jus naturæ ac Gentium age-

 re

ſe velint; nâm qvod incommodum ex eo ſentiant, ipſi in cauſa ſunt, non Sveci, nec Dani; ne Dicam qvod & horum intentio hîc conſideranda, qvæ, cum ut Pacati æqvalem erga utrumqve bellantium animum gerant non tam directa eſt ad Gallos juvandos, qvam ſolummodo ad ſeipſos indemnes ſervandos, cum eorum interſit libertatem commerciorum conſervari: Intereſſe autem eſt principium & finis omnium actionum humanarum, unde appoſite Itali: *Ogn' uno tira l' acqua al ſuo molino.* Et ut *Cicero lib. 3. offic.* loqvitur, *Omnes expetimus utilitatem, ad eamq; rapimur.* Qvod omnia jura permittunt, ut ſc. unicuiqve liceat vigilare pro commodo ſuo, etiam in alterius damnum, *l. 24. in f. l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. credit. l. 1. §. 2. l. 2. §. 9. de acq. pluv. l. 1. §. 7. ne quid in flum. publ. l. 1. C. de alluv.* qvod maxime verum eſt, ſi non ut alteri noceatur, ſed rem ſuam augendi animo, ut hîc, qvidpiam fiat: Regulæ enim bonæ interpretationis volunt, ut inſpiciatur, qvod principaliter agitur, non qvod extrinſecus in conſeqventiam venit: Inde locum hîc habebit illud, qvod reſcripſit olim Theodoricus Rex Gothorum

thorum ap. *Caſſiod. lib. Variat cap. 34.* ſc. tunc de exteris eſſe cogitandum, cum ſe explеverit ratio propriæ neceſſitatis. Ex qvo patet (3.) inſigniter lædi potius Svecos & Danos, qvippe turbata navigatione omnia regni incrementa, omnes nervos incidi, cives ademtis rem qverendi mediis ad deſperationem agi tralatitium, cum e contra qvantum expediat Principi, ſubditos habere locupletes ipſæ Romanorum Leges innuant. *vid. §. f. J. de his qui ſunt ſui vel al. jur. l. 1. §. 20. ff. de quæſt. Nov. 10. c. 1. Nov. 52. & 149.* (4.) Alia adhuc gravis læſio Svecis ac Danis hac prohibitione ſubnaſcitur. Eadem enim ratione qva Angli & Batavi iis prohibent merces ad Gallos deferre & Galli Svecis poſſunt inhibere, ne hi Anglis & Batavis fori copiam præbeant. Qvod factum anno 1653; hoc enim tempore bello inter Anglos & Batavos commiſſo, cum hi naves Svecicas & illorum, qvi neutras profitebantur partes, mercibus bellicis onuſtas interciperent, ſpoliarent, nautis ſæpe crudeliter habitis; eo exemplo Angli qvoqve ut Hollandis paria reponerent, omnes naves paratu bellico onuſtas in Hollandiam tendentes abripiebant. *Pu-*

 fendorf.

fendorf. lib. 25. rer. Svec. §. 39. Et Bonello Commiſſario Svecico ſuper libertate navigandi Svecicis navibus haud turbanda cum Parlamento Angliæ agenti, id reſponſi datum: qvamdiu Belgarum interdictum de mercibus bellicis ſubſiſteret, ſe non poſſe concedere, ut earundem in Hollandia libera ſit vectura. Sed ſi Belgæ impedire deſiſterent, qvominus eædem in Angliam importentur, ſe libenter exemplum imitaturos. *Pufend. l. 25. §. 46.* (5.) Inde fruſtra arguunt Angli & Batavi, prodeſſe ad bellum eo citius finiendum, ſi Svecos cum Danis a commercio cum Gallis excludant; Falſus enim eſt prætextus & latet anguis in herba: nam qvod Gallis deeſt, id ipſis partim a reliqvis Pacatis ſuppletur, imo nec ipſi Hollandi datâ occaſione ejusmodi merces a Svecis & Danis primitus coemptas in Galliam trajicere omittunt, ut ſic nemo non videat iſtam commerciorum turbationem non tam ſpectare ad detrimentum hoſti inferendum, qvàm ut omnia commercia in Anglorum & Hollandorum poteſtatem redigantur: Id ergo præcipue Angli & Batavi hac prohibitione intendunt, (1.) ut commercia Svecorum

rum ac Danorum ſufflaminent. (2.) ut Pacatorum commercia ac lucrum ad ſe trahant, ac ſic qvaſi monopolium, ſatis alias generi humano inviſum, ac noxium, conſtituant (3.) ut Sveci ac Dani tanqvam neutri parti addicti eo promptius, ſi & ipſi hujus belli incommoda ſentiant, omni ſtudio ad pacem conciliandam incumberent, cum alias verendum eſſet, ne iidem lucroſum ſibi bellum cujus occaſione Svec. ac Dan. commercia incrementum capere videntur, qvantum poſſent alere ſatagerent. Qvæ molimina an æqvo animo a Pacatis ferenda, nemo facile dixerit. (4.) Demum qvæ in Anonymi libro gallicâ lingvâ ſcripto leguntur, vana ſunt, nec huc pertinent, cum enim merces bellicas ad Gallos deferre Pacatis, adminimum Svecis nunqvam in mentem venerit, neqve id Jus Gentium, nec pacta conventa permittant, inde hæc ſponte corruunt: Et qvod ſi id etiam à privatis qvandoqve factum fuerit, imputari tamen hoc ſuperioribus non poteſt. *Vid. Loccen. de Jur. Morit. lib. 3. cap. 4. & librum Conſulatus Maris lingvâ Italica conſcriptum.*

CAP. VIII.

Nulla æqvitate ac ratione niti Anglos & Batavos probibendo Svecis ac Dan. merces ad Gallos deferre.

DEmum his Anglorum & Batavorum attentatis obluctatur æqvitas & ſana ratio; Ratio enim vult, & æqvitas expoſtulat, ut Pacatus tanqvam neutri parti addictus æqvalia utriqve belligerantium officia exhibeat, nec qvicqvam eximii præ uno in alterum conferat, ſed bona fide id operam det, ne qvid faciat qvo alteri parti favere, alteram odiſſe merito ſuo credatur. Non impediat hanc, illam ſublevet, non præſtet illi, qvod iſti negat, ſed aut neutram aut utramqve neceſſariis rebus ex æqvo juvet: Hæc enim eſt Neutralitatis indoles, ut ad eam utraqve bellantium pars pari ratione obſtringatur, nec ex ea uni plus emolumenti qvam alteri accedat. *Vid. Pufend. lib. 11. rer. Svec. §. 28. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 13. Bœcler. Diſſ. 5. ad Grot. Qvies in Turb. pag 202. Wilhelm Neumaier de Neutral. cap. 9. th. 12. ſeq.* Inde cum Sveci Anglos & Batavos qvibuscunqve rebus juvent, ſane ex natura

naturâ correlativorum ipſis tanqvam neu-
tras profitentibus partes ſummo jure licebit Gallis iisdem mercibus ſuccurrere; correlativorum enim idem eſt judicium & eadem diſciplina & de uno depoſitum trahitur ad alterum *l. f. de accept. l. f. C. de indict. viduit. l. 1. C. de Cupreſſ.* neq; jure diverſo una eademqve res cenſeri debet. *l. 23. de Uſucap. c. 22. de privileg. c. 30. de Decim.* Hinc olim Corycenſes apud *Thucyd. lib. 1.* ajebant, Atheniensium officii eſſe, ſi extra partes eſſe velint, aut Corinthios, ne ex agro Attico militem conducant prohibere, aut idem ſibi permittere. Et L. Æmylius Prætor Tejos arguit, qvod commeatu claſſem hoſtium juviſſent, vinum promiſiſſent, addens, ni eadem Romanæ Claſſi darent, ſe pro hoſtibus eos habiturum. Et Henricus IV. Rex Galliæ, cum poſt pacem Vervinienſem cum Hiſpano concluſam multi ex Gallis ſub Belgarum fœderatorum ſignis militarent, Oratori Hiſpano de eo ſe conqverenti reſpondit: Qve pour les hommes, ils n'y alloient „ point par ſes ordres, & qv'il y avoit des „ Francois au ſervice de l'Archiduc auſſi bien „ qv'au ſervice des Hollandois. *L'Hiſtoi re de* „

Henry le Grand por S. Pereſixe. p.3. f. 406. Add. Grot. lib. 8. Annal. Belg. pag. 367. Eodem modo Carolus II. Rex Britanniæ Legato Hiſpanico 1677. ſollicitanti, ut ſuis qvi Gallis operam addixerant, domum redire juberet Rex, id ſibi non integrum eſſe reſpondit, qvippe neutris partibus addicto, niſi illos qvoqve qvi in fœderatorum partibus hærebant, revocaret. Verba ipſa ſonant. "Ne ſeroit ce pas auſſi un des avantage aux "confederes, ſi ſa Majeſté accordoit ce qvi "eſt contenu dans le memoire, car il ne ſervit "pas bien ſeant, ſelon la nature & l' impar-"tialité d' un Mediateur de rappeller ſes "Sujets d' un coté, & non pos de l' autre, "& s'il rappelloit tout en general, ce ſera "aux deſavantage des Confederes, avec qvi "ils ont eté durant la plus grande partie de "la gverre, & en plus grand nombre. *Actes "de la Paix de Nimegve. Tom. II. f. 261.* Et Civitas Bremenſis Epiſcopo Monoſterienſi die 18. Septembr. an. 1675. tranſitum pro ſuis militibus deſideranti denegabat, eo qvod & idem Svecis denegatum erat. *Muller. Contin.* daß verwirt. *Europ. p. 798.* Hinc inter pacta Neutralitatis inter Chriſtinam

nam Veciæ Reginam & Ducem Curlandiæ de anno 1647. *Art.* 2. hæc cauta reperiuntur. Qvod ſi vero Dux Curlandiæ certa qvædam ſui territorii: loca Polonis pro tranſitu aliqvando aſſignaverit, eadem qvoqve Svecicis copiis militaribus qvovis tempore pateant, *Vid. Londorpii Acta Publ. part. VII. l. 7. c. 164.* Male e contra audiunt Genouenſes, *conf. Dialogo fra Genoua & Algieri Città fulminante dal Gjove Gallico. pag. 4. 5.* ibi *Devi ſapere ancora, che a qveſti Aſſentiſti io dò i principali impieghi, e li migliori dignità della Republica in compenſa del loro affetto verſo la Spagna &c.* Atqve hæc Gentium exempla magnam æqvitatem ſpirant, cum ſi Pacatus utriq; parti belligerantium æqvali modo ſuccurrit, neutra pars habet, unde ſe conqveri poſſit: Ex eodem fonte Svecis ac Danis, cum Anglis ac Batavis merces qvascunqve ſubminiſtrant, multo magis licebit Gallis alia qvæ ut cauſa ſine qva non belli ſe tantum habent, ſuppeditare, argumento ſumto a majori ad minus, nam cui plus licet, ei etiam qvod minus eſt, licebit. *l. 21. ff. de R. J. l. 7. ff. de ſervit. ruſt. præd. l. 8. §. 13. ff. qvib. mod. pign. ſolo.* Aut ad minimum Angli

gli & Batavi, dum commerciorum cum Gallis ceſſationem tam anxie a Svecis & Danis efflagitant, pati debent, ut ſi ab altera forſe parte a Gallis ſc. idem a Svecis & Danis in præjudicium primorum petentium deſideretur, neq; hi ut neutri parti addicti, ac qvibus æqvalem animum erga utramqve partem ferre convenit, fori uſum Anglis & Batavis præbeant: qvod tamen tum invitis & iniqvis forſan oculis viderent, imo omnem potius adverſus hoc lapidem moturi. Qvod tibi ergo non vis fieri, alteri ne feceris, regula Naturæ eſt, ac perfectum divinæ humanæqve Legis documentum. *Decian. Vol. 1. Conſ. 25. num. 71.* Nam & Lex DEI eſt, & regula Chriſti: Qvæcunqve vultis, ut faciant vobis homines & vos facite illis. *Matth. c. 7. verſ. 12. Luc. c. 6. V. 31.* Et Imperator cenſet, non eſſe audiendum qvi petat id, cujus contrarium in caſu contrario non eſſet poſtulaturus. *l. 35. §. f. C. de Donat.* (2.) Uti fruſtra laborant Medici de Panacæo omnibus morbis applicando, ita & fruſtra Batavi & Angli in prohibitione mercium qvæ & uſum in bello præſtant, ne ad Gallos deferantur, omnibus Gentibus facienda. Ridiculus qvoqve

eſſet

eſſet Medicus, ſi in Diæta ægrotantibus præſcribenda, uno ſe tantum modo ſerviret; aut eadem ſemper medicamenta adhiberet tam in morbis cacoëthicis, ſive malignis, habitualibus, chronicis, qvam in morbis levioribus, & ſymptomaticis: Nihilqve ipſi intereſſet, an ægrotus Senex ſit, vel Juvenis, an robuſtus vel maculentus ac debilis, an Germanus vel Italus; cum tamen peritis conſtat, Antimonio, ſtibio, Elleboro, Mercurio, non in levibus ſed in magnis morbis & ſumma urgente neceſſitate eſſe ſaltem utendum: Nec debili tantum opium aut ex medicamentis ſolventibus tantum ſolventia eſſe dandum qvam robuſto ac nondum debilitato, facile enim alias fieret, ut ægri in læthargum, vel in ſuperpurgationem ex alterutro errore dilabantur: Nec ægro debili vigente morbo Seni in medio hyeme morbo frigido affligente tantum ſangvinis detrahendum, qvàm robuſto ac Juveni. &c. Idem qvod diximus de corpore humano, obtinebit qvoqve in corpore civili: Inde ponamus, multas Civitates inferiores ad Metropolin hactenus detuliſſe varias merces, vinum, oleum, ſericum, cereviſiam, frumentum

mentum &c. Principem autem poſtmodum facto edoctum, partem horum commerciorum ipſius Metropoli plus damni qvam emolumenti hactenus adtuliſſe, inde Edicto conſtituit, ne Civitates inferiores in poſterum ad Metropolim cereviſiam ac frumentum deferant, qvoad reliqvas merces autem ut vinum, ſericum, ipſis liberum cum hâc remanere debeat commercium: Jam autem cum qvarundam harum Civitatum commercia unice in frumento & cereviſia conſiſtant, qvæ hoc Edicto in totum everſa conſpiciuntur, qvis non dixerit, Principis Edictum hoc caſu eſſe temperandum, ac has Civitates in prima libertate eſſe reſtituendas, ſalva remanente Edicto qvoad reliqvas. Eodem modo judicandum erit de prohibitione illa Anglorum & Batavorum de non opportandis in Galliam mercibus, qvæ uſum in & extra bellum præſtare poſſunt, qvippe qvæ ratione Svecorum & Danorum, licet poſito qvod alios abſtrahendo ab his obtineat, locum habere non poteſt, qvia præcipue Svecorum & Danorum commercia conſiſtunt in his mercibus, nempe in pice, reſina, lino, cannabe, funibus nauticis,

ticis, ligno, cupro, ferro: Merces autem luxuriæ inſervientes, ut vinum, aromata, ſericum, nec Svecia nec Dania producit, neqve hic exportantur, ſed in hæc regna ex aliis locis invehuntur, Svecis ac Danis viciſſim aliis Nationibus dictas merces ſuppeditantibus, qvas exportare & ad qvoscunqve libere deferre ſi ipſis ab Anglis & Batavis inhiberetur, ſane vix ac ne vix hi aliud agerent, qvam ut indirecte totam navigationem illis inhiberent, atq; omnem mercaturam in effectu tollerent; in qvâ tamen horum regnorum ſalus unice conſiſtit; qvod & olim jam Axelio Oxenſtierna Cancellario perſvaſum erat, opes publicas non a fundis pendere, qvorum modicus ſatis in Svecia & Finnonia ſit reditus, frugibus magis qvam pecunia conſtans, ſed cultura metalli fodinarum ac commerciorum) ac qvæ inde promanant vectigalium ubertate. *Puſendorf. lib.* 22. *rer. Svec. §.* 37. Et ſecundum hanc juſti & æqvi normam Chriſtina Sveciæ Regina adverſus Batavos urgebat, ut ſi utiqve merces bellicos ad Anglos deferri nollent, ſaltem picem & cannabim exportari non prohiberent. *Puſendorf. Comm. rer. Svec. lib.* 25. *§.* 39.

§. 39. Nulla igitur æqvitatis ratio, ne probabilis qvidem ulla ſententia pro Anglis & Batavis ſtat; imo adducta ratio ſola ſufficeret, qvominus Svecis ac Danis ab Anglis & Batavis libertas commerciorum ac facultas deferendi ad Gallos merces in & extra bellum utiles reſtringi aut tolli poſſit, licet verum pro falſo ſupponere ac largiri velimus, poſſe alios Pacato prohiberi, ne merces, qvæ uſum in & extra bellum præſtant, ad unum vel alterum Bellantium deferat, cujus tamen contrarium jam ſupra diſcuſſimus.

Cap. IX.

Anglos & Batavos vi pacti conventi eſſe obſtrictos ad permittenda Svecorum ac Dan. cum Gallis commercia.

HÆc, niſi me omnia fallunt, ſufficere poſſent, pro adſtruendo id, qvod in nos probare ſuſcepimus, ſc. nec Jure Gentium, nec ex æqvitate aut qvocunq; prætextu Anglos & Batavos Svecorum ac Dan. cum Gallis commercia ſufflaminare poſſe; Aſt cum duplex vinculum fortius ligat qvam unum, inde explicandum reſtat, ad qvid Anglos & Batavos conſtringat Jus Gentium particulare,

late, ſeu mutuum pactum cum Svecis ac Danis initum; qvod pactum & fœdus non incommode Jus Gentium particulare dixeris; Præter mores enim communes pro jure etiam inter Gentes habendum eſt, id qvod Gentes ſingulæ cum ſingulis inter ſe conſentiunt, utpote per pacta, conventiones & fœdera, cum communis Reipublicæ ſponſio Legem conſtituat, & populi univerſi non minus qvam ſinguli ſuo conſenſu obligentur. *Vid. Zouch. de J. & Jud. int. Gent. p. 1. Sect. 1. §. 1. in fin.* Sicuti ergo Jus Gentium commune violare Gentibus moratioribus religio eſt, ita non minus paciſcentibus ſancta ſit obſervantia Juris Gentium particularis. Ad qvid autem pacta conventa Anglos & Batavos obligent, comprobat fædus navigationum & commerciorum anno 1679. 2. Octobr. inter Svecos & Batavos initum, qvo hæc expreſſa leguntur *Art. 14. Illa navigandi & commercandi libertas ad omnia mercimoniorum genera ſe extendet, exceptis ſolum iis qvæ articulo proximo ſequuntur, & contrabandæ nomine indigitantur. Art. 15. Sub iſto nomine Contrabandæ ſive mercimoniorum prohibitorum ſolummodo*

do comprehendantur arma, ſclopeta, aut tormenta majora, bombardæ cum ſuis igniariis, & aliis ad ea pertinentibus, ignes miſſiles, pulvis tormentarius, fomites, globi, cuſpides, lanceæ, haſtæ, bipennes, tubi catapultarii, (vulgo mortarii) inductiles ſclopi (vulgo Petardæ) furcæ ſclopetariæ, balteri ſclopetarii, Salpetræ, Sclopeti, globuli ſ. pilæ, qvæ ſclopetis jaculantur, Caſſides, galeæ, thoraces, loricati (vulgo cuiraſſes) enſes eorumq; baltei & ſimilia armorum genera, atq; omnia ad inſtruendos equos neceſſaria, Schlopethecæ & qvæcunq; alia inſtrumenta bellica. Art. 16. Inter bona prohibita nequaquam cenſebuntur hæc quæ ſequuntur mercimonia, triticum, hordeum, & aliud quodcunq; frumenti, vel leguminis genus, olea, Vina & omne genus ſalis, nec non omnis generatim annona, qvæ ad victum hominis & vitæ ſuſtentationem facit, ſed nec ferrum, cuprum, æs, nec quicquid ad conſtruendas, inſtruendasq; naves neceſſarium, cujus notæ ſunt cannabis, linteamen velis nauticis aptum, pices tam liquidæ quam aridæ, omne genus mali, trabes, lignum incurvum, tabulæ navales, rudentes, anchoræ, vel anchorarum partes qualibet,

bet, nec aliæ quæcunq; merces, quæ pro terreſtri vel maritimo, bello formam non acceperunt, multo minus hæ, quæ ad alium quemvis uſum jam apparatæ, ac conformatæ ſunt, quæ plane inter mercimonia libera cenſebuntur, juxta atq; aliæ qualibet merces quæ in articulo proxime præcedenti non comprehenduntur, ita ut a ſubditis utriusq; partis etiam ad loca inimica, liberrime transportari, & invehi poſſint, exceptis duntaxat oppidis, locisq; obſidione cinctis, circumſeptis & inveſtitis. Correſpondet cum his tractatus commerciorum anno 1676. die 27. Nov. inter Svecos & Hollandos initus, niſi qvod ejus Artic. IV. pecuniæ qvoqve mentio fiat, ſc. qvod hæc inter merces vetitas referri non debeat. Simile commerciorum fœdus exſtat inter Regem Daniæ & Ordines Fœd. Belg. anno 1684. menſ. Auguſt. initum. *Vid. Aitzema* Sacken van *Staat en Oorlogh. Vol. XII. lib. 22. pag. 126.* Vix ergo animo concipi poteſt, qvomodo tam levibus innixi cauſis Angli & Batavi induci potuerint, ut contra datam fidem manu ſigilloqve principali firmatam, ſpreto inſuper Jure Gentium paſſi ſint, ſubditis Svecicis & Danicis tam vio-

lenter

lenter inſultari, merces eorum abripi, ſed & propriam exiſtimationem, famamqve tam fœda cataſtrophe devenuſtari; cum ſancte promiſſis ſtare proprium Principum ſit. Aut adſunt forſe adhuc prætextus, qvorum fuco temeratam fidem palliare poſſint? Solenne ſane eſt Principibus, ſi ipſis non plus volupe conventiones ſervare, qvod regreſſum ſumant ad pœnitentiam & reſtitutionem in integrum, ſi non beneficio Prætoris aut reſcripto Cæſaris, ſaltem ea lege qvæ apud Potentiores ſacroſancta habetur, ut in ſumma fortuna id æqvius melius cenſeatur, qvod ſit validius, & qvod aliqva ſpecie rationis incruſtari poſſit. Infirma fidei vincula ſunt literæ magnificis pollicitationibus & reſignationibus refertæ, cum ſubſcriptione manus Regiæ, & ibidem appenſo majore ſigillo, niſi mens compoſita ſit ad pacta conventa regie religioſeqve cuſtodienda. *vid. Baudius de Induc. Bell. Belg. lib. 1. pag. 41.* Ad hunc modum Eliſabetha Angliæ Regina cum anno 1595. pecuniam mutuam ab Ordinibus Belgii repeteret, & hi ex contractu 1585. contenderent pecuniam non repræſentandam priusqvam bellum finiretur, nec a pa-

cto

ĉto reſiliendum, ſi Regina ſuo conſulat honori: Contra cenſuit illa ex *his Jurisconſultorum & Politicorum oraculis:* Omnes Contractus cum Principe intelliguntur admittere interpretationem bonæ fidei, neqve Princeps tenetur ex ſuo contractu, qvando ex juſta cauſa contractus cedit in publicum detrimentum. Pax non rumpitur ſi Princeps recedat a pacto ſuo, qvando ex novi caſus contingentia id fiat, vel qvando res devenit ad novum caſum, de qvo fuiſſet aliter proviſum, ſi fuiſſet cogitatum: Fœdera & pactiones Principum cavillari non debent, neqve violantibus pacta debent obſervari. Princeps contractui celebrato in cauſa reſpiciente Statum ſuum non tenetur ſi in præjudicium & detrimentum ſubditorum vergat. Omnis conventio qvantumvis jurata, intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus, non autem illis mutatis: Fortius qvis obligetur Reipublicæ qvam proprio promiſſioni. Atqve ex *Senecæ autoritate lib. 4. de Benefic. c. 134.* Non mutat ſapiens conſilium omnibus his manentibus qvæ erant cum ſumeret. Ideo nunqvam illum pœnitentia ſubiit, qvia nihil melius illo tempore

fieri

fieri potuit, qvam qvod factum eſt, nihil melius conſtitui qvam conſtitutum. *Camden. p. 4. Hiſt. Eliſab. ad ann. 1595.* Add. *Joh. Labardæus Hiſt. de reb. Gallic. lib. 5. p. 74. 75. edit. Pariſ. anno 1671.* Ad hoc caput qvoqve provocare videntur Angli & Batavi, obtendentes, eorum promiſſa utilitate proprii ſtatus temperari, hâc diverſum jam ſuggerente, exiguam fœderum initorum eſſe vim; ac ſic licet tum fidem obſtrinxerint, qvod ſi in bellum detrudantur, Svecorum ac Danorum ut Pacatorum commercia cum altero belligerantium libera ac ſalva forent qvoad illas merces fœdere dicto comprehenſas, at cum nunc tempora & facies belli mutata, atqve utilitas ac intereſſe ſtatus aliud expoſtulet, jam obligationis vim ceſſare; qvod in privatorum pactis ac contractibus cum procedat, ac ea ſemper intelligantur, *rebus ſic ſtantibus*; multo magis procedere debeat in fœderibus & pactis inter ſummas Principes initis. Et huc trahendum videtur, qvod apud *Senecam* legitur *l. 4. de Benef. c. 35. Tunc fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, qvæ erant promittente me, non præſtitero promiſſum, alioqui*

alioqvi qvicqvid mutatur, libertatem facit de integro conſulendi, & meam fidem liberat. &c. In omnium qvoqve ore eſt Euphemii apud *Thucyd. lib. 4.* Regi aut Civitati imperium habenti nihil injuſtum qvod utile. Cui ſimile illud Tiridatis apud *Tacit. lib. 15. Annal. c. 1.* id æqvius, qvod validius. Et Gallorum apud *Livium lib. 5. c. 36.* ſe in armis jus ferre & omnia Virorum fortium eſſe: Sed hæ rationes tanti non ſunt, ut iis fidem ſemel pactis obſtrictam liberent Angli & Batavi; Eſt enim Juris Naturæ regula, Pactis eſſe ſtandum: qvod & anxie a Romanis JCtis inculcatum, inde dicitur in *l. 20. C. de transact.* Fidei humanæ ita nihil congruit, qvam ea qvæ placuerant, cuſtodiri; Et in *l. 21. ff. loc.* Bona fides exigit, ut qvod convenit fiat, & *l. 1. de conſtit. pec.* fidem fallere grave; utpote qvæ juſtitiæ totius firmamentum eſt, qva non ſolum Reſpublicæ, ſed & omnis humana Societas continetur: *conf. Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 6.* In omni itaqve negotio Princeps debet ſervare fidem, & ſancte ſtare promiſſis. *Ciro Spontone l. 3. del Gover. di Stato, c. 2.* Imo eum ad pacta adhuc magis adſtringi qvàm privatos ſatis expeditum eſt ex

neceſſitate finis, qvæ jus facit in moralibus: Privati enim ad promiſſa implenda per Judicia coercentur; Principes autem ſi fidem fallant, ad Judicia recurri non poteſt, utpote qvæ inter ſummas poteſtates ſuperiorem non recognoſcentes ceſſant, inde qvod judicio obtineri non poteſt, bello apud ipſos vindicatur; Nunqvam autem bellorum finis eſſet, nunqvam in pace viveretur, ſed bellum bellum produceret, & promiſcuæ, perpetuæqve cædes exiſterent, ſi non ſanctaPrincipibus promiſſorum obſervantia: An ergo hujusmodi promiſſa in ſe habeant tacitam conditionem, ſi res maneant qvo ſunt loco? Recte id negat *H. Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 16. n. 25.* niſi apertiſſime pateat ſtatum rerum præſentem incluſum eſſe in unica illa ratione & efficaci qvæ promittentem moverit: Indeqve Angli & Batavi ex hoc capite fœdera commerciorum cum Svecis ac Danis inita infringere neqveunt, vix enim (1.) abſurditas evitaretur, ſi tractatus commerciorum neceſſario huic tacitæ conditioni innitii dicatur, cum utplurimum in ſtatu pacato conficiuntur, qvo res alio adhuc loco ſunt, qvam in ſtatu hoſtili; imo cum belli alea fallax,

lax,& qvi hodie vincit,mox perdat,atq; ſic res qvovis die mutationi obnoxiæ, ſeqveretur, qvod & pacta inde ad qvodvis momentum, qvo res mutantur, mutari debeant, qvod dicere valde abſurdum foret.(2.) Illa ratio qvæ paciſcentes moverit ad hæc pacta circa commercia ineunda,nondũ ita ceſſat, ut propterea pacta hæc ceſſare debeant; cum ſine dubio principalis cauſa qvæPaciſcentes ad hæc fœdera ineunda impulerit, fuit, ut eo tutius Pacatis cum Belligerantibus negotiari ac commercari liceret, ſi pactis conſtaret, in qvibus mercibus eorum commercia conſiſtere debeant: Neqve (3) dici poteſt, rem deveniſſe ad novum caſum, de qvo fuiſſet aliter proviſum, ſi fuiſſet cogitatum; nam caſus ille novus, ſi qvispiam adhuc obtendi poteſt, facile tum temporis, qvo fœdera cudebantur, præviderì poterat, cum non inſolitus plane erit. Imo (4.) facile alias nulla eſſet obligatio, ſi qvisqve ſenſum, qvem vellet, ſibi affingendo,liberare ſe poſſet, ſed pacta hac cavillatione ſemper illuderentur, & res nunqvam exitum reperiret, qvod in moralibus pro impoſſibili habetur. Inde (5.) exſecranda vox illa Tiridatis aqud Tacitum,

& Gallorum apud Livium, & ut ferina potius, vel ſi qvid his adhuc immanius, æſtimanda eſt: Nam, ut inqvit *Heſiod. l. 1.* piſcibus id convenit & feris & volucribus, ſe mutuo ut vorent, qvandoqvidem carent juſtitia. Neqve in ea adhuc incidimus tempora, ut obtineat, aut in Svecos qvadret illud Athenienſium ad Melias apud *Thucydid. lib. 5.* δυνατὰ δὲ οἱ δυνατοὶ πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσι: *qvæ fieri poſſunt, ea validiores faciunt, imbecilli ſuſtinent.* Satis enim virium Illis adhuc eſt, ad propulſandam injuriam, & vim vi opponendam, cum ſumtis ſemel armis & bellare & vincere ſveti. (6) Fidem datam non eſſe opportunitati poſtponendam longe rectius alio loco cenſuit Eliſabetha Angliæ Regina, cum enim Rex Galliæ non obſtante fœdere, qvod ipſi cum Eliſabetha intercedebat, clam pacem cum Hiſpanis an. 1598. moliebatur, Regina Regem datæ fidei admonuit, addens fœderis religionem non niſi inter pravos eſſe retia ad fallendum *Vid. Camden. part. 4. Hiſt. Eliſ. ad ann. 1598.* Et optime Henricus IV.
"Rex Galliæ ſolitus eſt dicere: Qv'il aime-
" roit mieux avoir perdu ſa Couronne qve
de

de tomber dans le moindre ſoupcon d'a-„
voir manqvé de foy, même au plus grand„
de ſes Ennemis. It. Qve qvand il euſt pû„
rendre la maiſon de France auſſi puiſſante„
en Europe, qv'eſt celle des Ottomans en„
Aſie, & conqverir en un moment tous les„
Etats de ſes Voiſins, il ne l'auroit pas vou-„
lu faire au deshonneur de ſa Parole, obli-„
gée a l'entretien de la Paix. *Vid. Henry le*„
grand par Hardouin de Pereſixe. part. 2. f. 312. & 381. Demum (7.) etſi Jus Gentium particulare atqve pacta mutua infringere, tollere, ſubvertere, ac pro modo rei privatæ omnia metiri Anglis & Batavis liceret, qvod abſit ut ſtatuamus, attamen adhuc Jus Gentium commune ac univerſale adeſt, qvod Pacato permittit merces præciſe non bellicas, ſed in & extra bellum utiles ad Bellantes deferre, indeqve ſi pacta inita hîc locum habere non poſſunt, res devenit ad eum ſtatum, ac ſi nunqvam pacta inita fuiſſent, eo autem caſu, ut toties monuimus, recurrendum ad Jus Gentium commune.

Cap. X.

Integrum non eſſe Anglis ac Hollandis merces Svec. & Dan. per vim intercipere, præter caſum, ſi locus ab iis obſidione cinctus.

MAnet inde æternæ Veritatis, qvod ſubvectio earum mercium, qvæ in & extra bellum uſum præſtare poſſunt, Svecis ac Danis nullo modo interdici poſſit, excepto unico ſolum caſu, ſi ſc. ſubvectio illa fiat ad loca a Batavis & Anglis obſidione preſſa; nam ſi qvis oppido obſeſſo aut hoſti jam pene a me victo, ſciens ejusmodi merces ſubminiſtrat, ex qvibus vires ejus jam fractæ reſtitui poſſunt, tenetur mihi de damno culpa dato, & hinc ad damni dati modum res ejus capi poterunt. *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 1. §. 5. n. 3.* Inde Demetrius cum Atticam teneret exercitu, jamqve Vicina oppida Eleuſina, & Rhamnuntem cepiſſet, Athenis famam facturus, navis frumentum inferre paratis & Magiſtrum & gubernatorem ſuſpendit, atqve eo modo deterritis cœteris urbe potitus eſt, teſte *Plutarcho in Demetrio.* Anno 1638. cum Wolgaſtum a Svecis ab omni parte clauſum tenebatur,

ita

ita ut ſpes erat Cæſareorum præſidium fame coactum brevi in Svecorum manus ceſſurum, a Danis vero furtim cibaria in hunc locum inferebantur, Bannerius ſe apud Danos de hoc facto conqveſtus, poſtulans ut deinceps talibus abſiſtatur, addito, id ſe vi prohibiturum: ſimulqve idoneis locis ſtationes diſpoſuit, qvæ cymbas Wolgaſtum irrepturas interciperent. *Pufendorf. rer. Svec. lib. 20. §. 21.* Et Chriſtina Sveciæ Regina fœderibus inter Sveciam & Belgium commercia tantum ad loca obſidione cincta vetari arguebat. Unde ubi Batavi oppidum aliqvod Angliæ oppugnent, ferri poſſe, ſi ne qvid importetur, impeditum eant, ſed trium regnorum commerciis Svecos arceri, a ratione plane abhorrere. *Pufendorf. lib. 25. rer. Svec. §. 39.* Ita 1665. Belgii Ordines Legato Anglico ob abreptas qvasdam Anglorum naves qverelam inſtituendi reſponderunt: Es hätten die von der Compagnie die beyden Engliſchen Schiffe mit gutenRecht abgehalten/und nach den belägerten Plätzen nicht handeln laſſen. Sonſten aber wäre ihren oder andern Engliſchen Schiffen unverwehrt

wehrt geweſen / an deren Plätze des Kö-
nigreichs Fetu, oder der Landſchafft Comani zubeſuchen. It. Man wäre den Engländern mit aller Ehrerbietung begegnet / daß man ſie aber unter wehrender Belägerung hätte hinein laſſen ſollen / würde kein Krieges-Verſtändiger / noch jemand von geſunder Vernunfft und unpartheyiſchen Verſtande gut heiſſen. *Theatrum Europ. Tom: IX. p. 1004ſ.* Inde ſimile qvid fœdere commerciorum inter Sereniſſ. Sveciæ Regem & Ordines Belgii art. 16. in f. conſtitutum legitur, verbis: *Exceptis duntaxat oppidis locisq; obſidione cinctis, circumſeptis & inveſtitis.* Præter hunc caſum autem adhuc Bellantes poſſe Pacatorum merces per vim intercipere vult *Grotius l. 3. de J. B. & P. c. 1. §. 5. n. 3.* ubi dicit, ſi me aliter tueri non poſſum, niſi qvæ mittuntur intercipiam, neceſſitas jus dat intercipiendi, ſed ſub onere reſtitutionis. Nititur enim iſta concluſio falſa hypotheſi & principio Grotii de communione rerum primigenia, qvam reviviſcere ait in graviſſima neceſſitate, Dominio qvod Jure Gentium deinceps introductum fuit, plane non obſtante. Vid.

qvæ

qvæ habet *l. 2. de J. B. & P. c. 2. n. 6. ſeq.* Ejusdem cum Grotio ſententiæ ſunt *Molin. de Juſt. & Jur. Tom. I. tract. 2. Diſp. 20. fol. 99. Joh. de Lugo de J. & J. Diſp. 6. ſect. 1. n. 2. ſeq. Leonh. Leſſius de J. & J. l. 2. c. 5. Dub. 2. & 3. Laymann. lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 8. Huber. l. 4. Digreſſ. c. 11. & 12.* Et hæc fuit communis ſententia Veterum. Vid. *Ovid. l. 1. Metam. Seneca in Octavia, act. 2. Juſtin. l. 43. c. 1.* In aliud extremum dilapſi ſunt Neoterici, qvi putant dominium ac proprietatem rerum omnium a DEO Optimo Maximo ante diluvium Adamo conceſſum, eumqve ſuum Dominium ad poſteros jure hæreditario transtuliſſe, hosqve illud inter ſe dividiſſe: Qvalis ſententiæ tubicines ac Anteſignani ſunt, ni fallor, *Bœcler, Ziegler, Kulpis, Oſiander, Valentin Veltheim in Not. ad Grot. Strauch tr. de Imp. Marit. c. 1. §. 5. & 8. Pufendorf. l. 4. de J. N. & G. c. 4. §. 9. ſeq. Joh. Selden de J. N. & G. juxta diſcipl. Hebræor. l. 6. c. 1. Joh. Bapt. Burgus. l. 1. de Domin. Reip. Genouen. in mari Liguſtico. cap. 10.* Qvænam ſint rationum momenta, qvæ Autores ab utraqve parte adducunt, Lector apud ipſos videbit, cum eorum ſcrinia compilare brevitas hîc propoſita non permittat:

Sed præſtat magis ut noſtram de illa contro-verſia ſuccincte dicamus mentem: Neutra autem ſententia ad palatum, & qvidem Grotii de communione primigenia exinde nobis præcipue falſa videtur, qvia (1.) terra ab initio in hominum poteſtate non fuit, plures enim fuere incognitæ. (2.) Poſita communione rerum, nemo potuiſſet ad ſuas neceſſitates aliqva re uti, niſi accedente omnium conſenſu. (3.) Seqveretur ſi portio vacans eſſet hodie, non cederet occupanti qvia occupatio rem qvæ eſt nullius præſupponit. Falſam qvoqve eſſe ſententiam Neotericorum exinde patet (1.) qvoniam totus terrarum orbis minime fuit in poteſtate Adami, nam qvi minimam partem orbis tenet, imo novit, ille non ſtatim totum orbem poſſidet. Accedit (2.) qvod omnibus hominibus eadem facultas ac Adamo conceſſa, ſi enim uni Adamo Dominium in terram datum eſſet, ſeqveretur qvod uxorem & liberos potuiſſet ab hoc jure excludere; ſi vero non potuit excludere, ſeqvitur Jure Naturali neceſſario, qvod Uxori, liberis & reliqvis hominibus idem jus conceſſum fuerit, qvod Adamo, atqve

ſic

ſic certiſſimum, qvod Uxor Adami eodem jure Domina terræ fuerit ac Adam, atqve hinc etiamſi innumeri homines conditi fuiſſent, ſine dubio omnibus dominium competiiſſet; qvod enim juris eſt in uno vel duobus conditis, idem juris erit in pluribus conditis; neqve vero natura terram condidit ob unius perſonam, ſed ob univerſum genus humanum. (3.) Si Adam ſolus habuiſſet dominium, illudqve transtuliſſet in poſteros, ſeqvererur qvod nunqvam portio vacans occupanti cederet, qvoniam jure hæreditario omnibus competeret, æqvaliter enim Adamo ſucceſſerunt. Ut itaqve ex hoc labyrintho evadamus, ac tanto certius de veritate hujus rei conſtet, diſtinguenda erit communio, qvam non unam ſed diverſam eſſe putamus. (1.) enim communio eſt rerum, earumqve dominii, qvando plures occuparunt dominium alicujus rei; talis ab initio non fuit. (2.) communio negotii v. g. inter ſocios communis negociatio, qvicqvid ex hac acqviritur, illis commune eſt; talis etiam hic fingi non poteſt, qvia agitur de Jure in res à natura dato, non vero de lucro captando. (3.) eſt communio juris occu-

 pandi,

pandi, qvo pluribus competit facultas legitima occupandi res. Occupatio autem eſt actus, qvo res in poteſtatem ac cuſtodiam noſtram redigimus, tale jus occupandi peſſime communio rerum dicitur. In jure enim occupandi res qvæ occupantur, non ſunt res alicujus ſed nullius, alias enim liqvida hic eſſet contradictio. Tale eſt Jus Venandi in eodem ſaltu, feræ ſunt nullius ante occupationem, Jus vero occupandi omnibus eſt commune. Et tale jus eſt qvod competiit primis hominibus; adeoqve ſupponitur mundum fuiſſe nullius, ſed poteſtatem conceſſam ut eam occuparent homines, hæc enim facultas homini a natura data, nulla Lege prohibita reperitur, inde qvicqvid per hanc occupationem acqviritur, jus eſt: Et hæc ſententia convenit cum Juris Romani principiis, inde apparet Jurisconſultos non fuiſſe deceptos communi illa ſententia *vid. l. 1. §. 1. de acqv. poſſ. l. 3. pr. de A. R. D.* Et a JCtis hoc hauſit *Cicero l. 1. de Offic. c. 21.* ubi dicit, nulla ſunt jura a natura in privatorum bonis, ſed ex Veterum occupatione, ut qvi qvondam vacua invenerunt. Nam propriæ telluris herum Natura nec me nec

qvem-

qvempiam fecit. *Horat.* 2. *Sat.* 2. Sed ut radice ſuccisâ arbor corruit, ita ſummoto illo πρώτῳ ψεύδῳ de communione primæva, ſua ſponte corruit qvod illi ſuperſtructum, nempe reviviſcens uſus communionis primævæ in graviſſima neceſſitate, qvi & alias ex illa communione, uti Grotius eam concipit, non ſeqvitur (1.) qvoniam tempore occupationis res fuit nullius, qvia alias res occupari non poteſt, hinc ſeqvitur qvod per occupationem omnia jura plene & qvicqvid juris in illis eſt, acqvirantur occupanti, inde qvicqvid hic ea de re ſtatuit, legitimum eſt. (2.) Non poteſt dici reſervatum jus tempore neceſſitatis, cum antea jus illud non fuit, utpote cum res fuerit nullius. (3.) Alias ſeqveretur, qvod in momento qvo qvis in neceſſitate conſtituitur, dici poſſit jus habere in res ab omnibus hominibus occupatas, & hinc ſeqveretur, qvod poſſit eligere, qvem coram Judice convenire velit, & Judicem qvoqve teneri, ut cogat hunc, ut tantum illi ſuppeditet, usqve indigentiâ prematur. (4.) Seqveretur qvod omnes qvi per univerſum Orbem in neceſſitate ſunt conſtituti, communionem habeant, ac jus in re

mea; (5.) Id etiam repugnat regulæ Naturæ, ſc. nemini invito jus ſuum auferri debet. *l. 11. de R. J. Nov. 89. Præfat.* huic regulæ directo contrarium eſt, ſi qvod alteri legitime acqviſitum, auferri poſſit. (6.) Contrarium id eſſet regulæ, qvod diſpoſitio alicui ſaltem competat in rebus propriis, non vero alienis, qvæ regula fundata qvoq; eſt in *l. 130. de V. S.* Qvicqvid ergo de uſu reviviſcente communionis primævæ in caſu neceſſitatis fingitur atqve concipitur, merum chimerum eſt, indeqve nihil abſurdius eſſe poteſt, qvam ſi qvis inde contendere ac colligere vellet, qvod neceſſitas hîc aliqvod jus ſubminiſtret Anglis ac Batavis intercipiendi naves Svecicas ac Danicas, qvæ in Galliam tendunt, ac merces in & extra bellum utiles ſecumferunt.

CAP. XI.

Licere Sereniſſ. Svec. & Dan. Reg. propter damnum Subditis a Piratis illatum repreſſaliis uti, & negatum Jus Commercii armis aſſerere.

ARs Piratica, ſeu ληςρικὴ altero tanto odioſa, qvantum origo ejus damnoſa; hanc

hanc autem ex paganiſmo deducit; Prædari enim virtutis militaris apud Barbaros habebatur, inde cordate *Crantzius in Dania l. 1. c. 38.* compertum eſt apud veteres hujus ditionis homines, juſtum eſſe habitum qvæſtum, exercere Piraticam; Fuere tamen inter Reges hujus nationis, qvi rem ſceleſtam peroſi, ſummis conatibus improbitatem illam ſunt inſectati. Et in *lib. de Wandalia l. 3. c. 35.* de Winulus inqvit. Piraticæ nullum faciebant finem, arbitrati, (barbaro ſenſu) honeſtum id eſſe militiæ genus. *Add. Scheffer. de milit. nav. l. 1. c. 1. Saxo Grammat. l. 14. p. 259. Hobbeſ. de Cive c. 5. n. 2.* Abſit autem ut Solonem lege ſua comprobaſſe hanc prædatoriam neqvitiam & funeſta hominibus latrocinia credamus *in l. f. ff. de colleg.* qvod ſeqvi videtur ex lectione, qvam *Grot. l. 2. c. 15. §. 5.* præfert ἐπὶ λείαν ἐρχόμενοι, qvi ſimul deprædatum eunt: Vel enim id de prædis in juſto bello intelligendum, vel retinenda lectio vulgata ἐπὶ λίαν σιτούμενοι, qvi multum cohabitant, qvā & ſubjecta Legi verſio probat: Qvælibet ergo ſumma poteſtas ad coercendos aliunde infeſtos Piratas ſedulam operam, ſui & aliorum cauſa navare debet, vix

autem

autem aliter Mare prædonibus purgabit, tutamqve tranſeuntibus navigationem præſtabit, qvam navibus præſidiariis in mari diſpoſitis atqve intercipiendo Piratas, eosqve uti decet plectendo (conf. l. unic. C. de Claſſic.) Ad qvod & alias qvilibet Princeps ob dominium maritimum obligatus. Inde Eliſabetha *ap. Camden. ad ann. 1602.* confitetur, Principes non habere jurisdictionem, niſi in mari territorio ſuo proprius adjacente, idqve ut navigationes ſint tutæ a piratis & hoſtibus. Et in Annalibus Angliæ ſœpius legitur, Naves ab Anglis in Mari collocatas ad cuſtodiam ejus, ne a prædonibus infeſtetur, & ut tuta ſubditis atqve exteris navigatio. *vid. Philip. Medows Obſerv. an the Dominion of the ſeas. chap. 1. p. 11.* Et ſcribit *Svetonius in Vita Auguſti* Auguſtum Claſſem Miſeni & alteram Ravennæ ad tutelam ſuperi & inferi maris collocaſſe. Huc ſpectat illud *Strabonis lib. 14. Geograph.* ubi de imperio maritimo Rhodi loqvitur; Ad longum tempus imperium maris habuit, & piraticam ſuſtulit. Idem *Diodor. Siculus lib. 20.* affirmat Rhodos in commodum Græcorum, aliorumqve tranſeuntium mare prædoni-

bus

bus purgaſſe. Nec hæc immerito: Regula enim Juris Naturalis præceptum negativum eſt, omnes homines obligans, ut ne qvis alterum lædat, ſive id immediate per ſe, ſive mediate per alios fiat, nam damnum qvod tua culpa fit, id tu intuliſſe cenſeris. Inde recte docet *Cicero lib.* 1. *Offic.* ſc. injuſtitiæ eſſe, non ſolum ſi ipſe inferas injuriam, ſed etiam ſi ab iis qvibus infertur, non propulſes, ſi poſſis. Et 3. *Offic.* ſibi ut qvisqve malit, qvod ad uſum vitæ pertinet, qvam alteri adqvirere, conceſſum eſſe non repugnante natura: Illud vero naturam non pati, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates & opes augeamus. Neqve vero hoc ſolum natura, ſed & Legibus populorum ita conſtitutum ut non liceat ſui commodi cauſa noceri alteri. Sed detrahere aliqvid & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, qvam mors, qvam paupertas, qvam dolor. Idem exprimitur apud *Terent. Andr. Act.* 4. *ſc.* 1. Hoccine eſt credibile aut memorabile, tanta Vecordia ni nata cuiqvam ut ſiet, ut malis gaudeant, atqve ex incommodis alterius ſua ut comparet commoda? *Add. l.*

206.

206. de R. J. l. 22. de hered. petit. Uti autem omnia præcepta negativa ſub ſe comprehendunt affirmativa ita conſeqvens primi præcepti eſt; Si cui à te læſio ſit illata, damnumq; datum, ſive per te immediate, ſive mediate per alios, qvod tamen tibi poteſt imputari, ac à te poterat præcaveri, illud ipſum a te eſſe reſarciendum; Fruſtra enim alias eſſet præceptum Juris Naturæ de non lædendis aliis, niſi in ſe contineret ſimul obligationem ad damnum datum reparandum; Tanta enim malignitas mortalium eſt, ut non exiſtente hâc obligatione nemo, licet ſciret ſe alterum læſiſſe, ſe propterea ſponte ac ultro offerret ad ſatisfactionem, qvin imo hoc eſſet frœnam peccandi licentiam dare, cum nullus eſt finis læſionum, ubi nulla obligatio ad ſatisfaciendum ac reparandum, & brevi tota Societas humana everteretur, ac naſceretur bellum omnium cöntra omnes. Ex his Juris Naturæ ac Gentium principiis jam fluit, qvod cum Svecicis ac Danicis ſubditis magnum a Piratis Batavis & Anglis illatum ſit damnum, Anglos & Batavos vi Juris Naturæ ac Gentium teneri de damno a Piratis communibus humani generis hoſtibus dato,

dum

dum ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibuerint ea qvæ poſſunt ac debent remedia, is autem qvi ſcit & prohibere poteſt, nec prohibet, ipſe qvoqve in culpa eſt. *Vid. c. dilecto filio de ſent. Excom. in 6. c. 23. qv. 3. junct. l. 1. C. de falſ. monent. Nov. 134. c. 4. Add. Bartol. ad l. 7. n. 2. ff. de incend. ruin. naufr. Jacob de Belviſo ad d. N. 134. §. qvoniam vero. & qvos citat Bocer. de Regal c. 2. n. 159.* Inde hoc nomine jam olim damnati ab Amphyctionibus Schitii: Nec Teucæ Reginæ Illyriorum accipitur excuſatio, qvod diceret non a ſe, ſed a ſubditis piraticam exerceri, neqve enim prohibebat. Sed rectius Agapetus apud Juſtinianum dixit; Par eſt delinqvere, & delinqventem non prohibere. *Conf. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 17. n. 20. & l. 2. c. 21. & in Jurispr. Holland. l. 2. c. 1. Strauch de Jmp. Mar. c. 9. n. 5. Alber. Gendil. l. 1. de Jur.* Belli *c. 21. Ærodius. Decret. l. 2. t. 3. c. 1. Zouch. de J. & J. int. Gent. Part. 2. Sec. 5. §. 1.* Cum ergo manifeſte hic appareat citra omne jus a Piratis Batavis & Anglis infeſtari Naves Svecorum & Danorum, ut amicarum gentium, neqve huic laſcivienti Piratarum conatui a Batavis re-

medium

medium qværi, inde jure dixeris Svecos & Danos fœderis cum Anglis & Batavis initi nexu non amplius obſtringi, ipſisqve jam liberum eſſe a fœdere diſcedere, alteriqve parti accedere, cum ſingula capita fœderis conditionis vim habeant: Exemplo ſit illud apud *Thucyd. lib. 1. ſi vel tantillum ex dictis pars alterutra transgrederetur, rupta fore pacta.* Add. qvæ capite VI. dicta. Sed hoc ita verum eſt, ni aliter convenerit: qvod fieri interdum ſolet, ne ob qvasvis offenſas a fœdere diſcedere liceat. *Grot. l. 2. de J.B. & P. c. 15. §. 15.* Qvod & factum dicto fœdere commerciorum inter Svecos & Batavos an. 1679 initi, cujus *Artic. 36.* hæc expreſſa: *Si de hinc per inadvertentiam vel aliter contigerit contraventiones vel inconvenientias aliqvas circa obſervantiam hujus tractatus a parte ſive S. R. Majeſtatis, ejusq; ſucceſſorum, ſive Celſorum & Præpotentium Dn. Ordinum Generalium oboriri, tunc non ſtatim propterea amicitia & bona intelligentia interrumpetur, ſed ſubſiſtet hoc fœdus omni cum effectu, procurabiturq; reparatio contraventionum: Et ſi ſubditi unius vel alterius deprehendantur in culpa, illi ſoli ſevere punientur*

&

& caſtigabuntur. Sed licet hactenus dictam ſatisfactionem acriter deſideraverint Sveci & Dani, & reparatio contraventionum licet promiſſa, in hodiernum diem tamen non facta; Inde ſecundum juris juſtiqve normam, Svecis cum Danis integrum erit ratione damni a Piratis illati ad media inter Gentes uſitata recurrere, ac repreſſaliis contra Anglos & Batavos, cum damna reſarcire detrectant, experiri, dum alio qvam hoc extraordinario ac ſubſidiario remedio ſc. τῷ Ἐνεχυρασμῷ ipſis conſuli non poteſt. De qvarum juſtitia *vid. Binsfeld. de inj. & damn. dat. Didac. Covarruv. in c. peccatum de R. J. in 6to. p. 2. §. 9. n. 4. Heig. p. 1. qv. 12. Paſchal de Legat. c. 21. & 29. Pufend. de J. N. & G. l. 8. c. 6. n. 13. Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 2. & Bartolus, Laudenſis, Dalnerus, Job. a Canibus, Gothofr. de Peſchwitz tr. de Repreſſaliis.* Inde Romanorum naves pro bonis Tarqviniorum Comis Ariſtodemus Tarqviniorum hæres retinuit. *Liv. l. 11. Hiſt.* Aliud exemplum & qvidem vetuſtius eſt ap. *Homer. in Iliad,* ubi Neſtor narratur ob ereptos Patri Eqvos Elidenſium pecora & armenta cepiſſe. Et Dani anno 1602. per

ſuos

ſuos in Britanniam legatos graviter de Piratis Anglis qveſti, & obteſtati ſunt, qvamvis piratica inſolentia bello flagrante comprimi non poſſet, ſupplicii tamen aſperitate coercendam eſſe, alioqvin ad injurias & damna reſarcienda arreſtationes permittendas: qvia Regum præprimis interſit, ne ſubditi qvid detrimenti capiant. *Camden. p. 4. Hiſt. Eliſ. pag. 842.* Cum regnante Carolo I. Rege Angliæ fœdus inter Anglos & Unitas Provincias interceſſerat de Hiſpano junctis viribus fatigando, Claſſis autem Anglorum & Batavorum non ſolum qvosqve aut ex Hiſpania redeuntes, aut eo vela facientes naves diripuerat, ſed etiam Gallicas, Anglorum aliqvot in illis partibus naves detentæ ſunt, & mercatorum bona fiſco addicta. *Vid. Lamberti Sylvii Florus Anglic. p. 194.* Et à Chriſtina Seciæ Regina repreſſaliæ in mercatores Hollandos Holmiæ agentes an. 1653. exercitæ. *Pufendorf. Comm. rer. Svec. l. 25. §. 43.* Aliud non inelegans exemplum eſt ap. *Stradam de Bello Belg. Dec.* I. *lib. 7. p. 421.* Sed cum nuper violatis pactis, poſthabito Jure Gentium ſatis audacter a Batavis & Anglis, Svecis ac Danis denunciatum, ne

ullo

ullo commeatu navali vel alio in poſterum Gallos juvent, qvonam ergo remedio illis conſultum erit, cum *art. 36. d. fæder.* ſe ob-ſtrinxerint ob contraventiones aliqvas non velle ſe a fœdere diſcedere, atqve ſtatim in bellum prorumpere; an ergo hæ injuriæ impune ferendæ, Batavis omnia pro libidine agere permittendum, neqve tam grave injunctum damnum vindicandum; Sane nec æqvitas nec ulla ratio id exiget; Dicto enim articulo notanter dicitur; *Si per inadvertentiam &c.* Jam vero cum Batavi & Angli conſulto ac præfricta fronte Svecorum ac Danorum commercia ſufflaminare ſtudent, neglectis iis qvæ de libertate commerciorum pactis invicem conventa, qvis non videt articulum illum ad hunc caſum non pertinere: Inde ratione Tranſitus denegati Svecis ac Danis ſummum Jus natum, ut tranſitum vi qværant, nam ſi qvis tranſitum præfracta obſtinatione denegat, licebit tandem viam vi aperire. *arg. l. 14. §. 1. ff. qvemadm. ſerv. amitt.* Hoc apparet exinde, qvia cum Jus Naturæ ac Gentium Pacato conceſſit jura ad alterum belligerantium qvaſcunqve merces deferendi; inde etiam ſimul conceſſit

omnia

omnia illa, ſine qvibus juribus illis uti non poteſt Pacatus. Imo tranſitus denegatio ſatis cauſæ Svecis & Danis eſſe poteſt, ut conjunctis viribus eapropter Anglos & Batavos bello petant; qvod ſi enim juſta bella geſta a filiis Iſrael contra Amorrhæos ob denegatum per ipſorum terras tranſitum, qvi jure humanæ ſocietatis æqviſſimo patere debebat, notante *Auguſtino in Numer. qv. 41. & Gratiano cauſ. 23. q. 2. c. 3.* Qvanto magis juſtum erit bellum ob tranſitum per Mare commerciorum gratia denegatum, cum hæc ſunt Juris Gentium, uſus qvoqve maris omnibus hominibus naturæ communis, ſecus ac terra, nec his tranſitus per Mare veſtigium poſt ſe relinqvat, aut Mare navigando deterius reddat, ſecus ac in territoriis. Et qvidni juſtum eſſet Svec. ac Dan. in Anglos & Bat. bellum ob commercia prohibita? Qvi enim nos lædere aut noſtra contra pacta intercipere aut perdere conantur, eos bello petere licite poſſumus, ut ſc. nos & noſtra ſervemus. *Pufendorf. de J. N. & G. l. 8. c. 6. §. 3.* præprimis ſi demandata reſtitutio & ſatisfactio non ſit ſecuta, nam ulciſci aut ablata recuperare per vim non licebit, niſi poſt-

qvam

qvam judicium erit negatum. *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 20. n. 32.* duo enim cum ſint decertandi genera, ut *Cicero. Var. 1. 17.* inqvit, unum per diſceptationem, alterum per vim, confugiendum ad poſterius, ſi uti non licet priore. Inde de populo Romano *Cicero in Orat. pro L. Manilia* ſcribit, Populum Romanum ſœpe Mercatoribus ac naviculatoribus injurioſius tractatis bella geſſiſſe. Et cum an. 1502. Johannes Rex Daniæ exardeſcente inter ipſum & Seciæ Regem bello a Lubecenſibus deſideraret, ne qvidpiam commeatus ad Svecos deferrent, hi non paruere, & cum eapropter Rex Daniæ qvasdam Lubecenſium naves caperet, hi repreſſaliis uſi, bellumqve inter eos & Danos magno animorum impetu agitatum. Vid. *Chytræus Chron. Saxon. lib. 5. Meurſii Hiſtor. Dan. lib. 3.* Qvod licet opera Cardinalis compoſitum, tamen anno 1509. recruduit multo priore acrius & funeſtius. *Vid. Alberti Crantzii Vandal. & Saxon. contin. p. 133.* ita ut an. 1511. atrox prælium navale inter Lubecenſes & Regios iteratis vicibus commiſſum fuerit. *Crantz. Vandal. cont. p. 140.* Eodem modo cum Angli bellorum ſuorum obtentu Dano-

rum commercia impediſſent, natū inde jam olim bellum inter eas Gentes, eo exitu ut Dani Anglis tributum imponerent, cui Danico denario nomen, teſte *Thuan. Hiſt. ad ann. 1589.* Add. *Selden. Mar. Clauſ. lib. 2. cap. 11. pag. 321. & 334.* Anno 1486. cum Galli, Angli atqve Scoti, flagrante inter hos bello, piraticam exercerent, Daniæqve mercatores, qvos in Mari deprehenderent, bonis ſuis ſpoliarent, hujusqve rei cum qverelæ crebræ Joanni Daniæ Regi afferrentur, is in Galliam Angliamqve miſſis literis, de injuria qveſtus, juſtam autem qverimoniam inſuper haberi cernens, ex conſilio unanimi ſuorum Senatorum é re duxit, juſto bello latrocinia coërcere, & petendæ ipſis pacis, qvam proterve recuſaſſent, ſic neceſſitatem imponere; nec caruit propoſitum ſucceſſu, qvem tam felicem habuit bellum, ut mox hoſtes per Legatos pacem petere ſint coacti. *Joh. Meurſii Hiſt. Danic. lib. 2. pag. 23. 24.* Sic inter injurias qvas ſibi a Cæſareanis illatas conqverebatur Rex Sveciæ Guſtavus Adolphus, fuit, qvod ſubditos ſuos commercii cauſa ad Germanica littora appellentes ablatis mercibus & confiſcatis navibus, ſpoliaverant, qvæ inter

ter

ter alias cauſas cruento illi Germanico bello occaſionem præbuit. *Conf. Petr. Bapt. Burgi Comm. de Bello Svec. Regis Sveciæ literas ad Electores. pag. 4. & 5.* Et apud Gramondum legitur, inter belli cauſas, ob qvas Angli Gallos an. 1627. bello infeſtarint, & fuiſſe hanc, ſc. in onerarias Angliæ, qvæ commercium apud Galliæ littora exercebant, velut in legitimam prædam injectam Regis Chriſtianiſſimi manum. *vid. Gramond. lib. 17. Hiſt. Gall. pag. 704. Edit. Toloſ.* Exorto anno 1652. inter Anglos Belgasqve bello, Chriſtina Sveciæ Regina decreverat amice prius utramqve partem monere, ut a belli ſui incommodis Sveciam immunem præſtent. Id ſi fruſtra ſit, talia conſilia capeſſenda, qveis incommoda iſta avertantur, etſi bellum inde ſit ſecuturum. *Pufendorf. l. 14. rer. Svec. §. 3.* ſic turbatio commerciorum, & qvod Batavorum naves paſſim ab Anglis captæ atqve excuſſæ erant, cauſa fuit, qvod Hollandi anno 1652. arma in Anglos expedierint *Pufend. rer. Svec. l. 25. §. 39.* Nec dubium ſi hæc res in judicio ageretur, Virum bonum contra turbantes liberam navigationem pronunciaturum; ait enim Præ-

tor *in l. 1. ff. ut in flum. publ. nav. lic.* Qvo minus illi in flumine publico navem agere, ratem agere, qvove minus per ripam exonerare liceat, vim fieri veto. De Mari & littore in eandem formam dandum interdictum docent Interpretes exemplo Labeonis, qvi cum interdiceret Prætor; Ne qvid in flumine publico ripave ejus facias, qvo ſtatio iterve navigio deterius ſit, fiat: ſimile dixit Interdictum competere in Mari; ne qvid in Mari, inve littore facias, qvo portus, ſtatio iterve navigio deterius ſit, fiat. Imo & poſt prohibitionem, ſi qvis ſc. in Mari navigare prohibitus ſit, aut non permiſſus rem ſuam vendere, aut re ſua uti; injuriarum eo nomine competere actionem Ulpianus reſpondit in *l. 2. ff. ne qvid in loc. publ. l. 13. & 24. ff. de injur.* Secundum hæc igitur bonus Vir, ſive Judex judicaret Svecis & Danis Jus eſſe navigare in Galliam, ibidem merces ſuas deferre; atqve Anglis cum Batavis injungeret, ne id agant, qvo minus Svecis impune jure ſuo uti frui liceret, aut ſi neglectis his ipſis vim fecerint, ad damni dati reſtitutionem teneri. Qvod autem in judicio obtineretur id ubi judicium haberi non poteſt, juſto bello vindicatur.

dicatur. *Grot. de Mar. Lib. cap. 13. & Wilhelm. Neumaier tr. de Neutralit. c. 9. th. 9.* Cum enim regna non actionibus, ſed armis vindicantur, ut loqvitur *Forſtner in Annot. ad Tacit. p. 72.* veniendum erit ad arma, ubi locum invenire juſtitia apud adverſarium neqvit. *Caſſiodor. lib. 3. Variar. 117.* Ac in eo licet imitari Medicos ac Chymicos qvi venenoſa medicamenta, imo nec ipſa venena ab uſu Medicinæ eliminant, ſed hæc in ſumma neceſſitate aliis æqvalis virtutis deficientibus aut non ſufficientibus adhibent: Inde Cæſaream qvoqve ſectionem non raro celebrant, licet hæc operatio periculi plena ſit, cum ea intentione fit, ut fœtus inde aut vivus aut qvomodocunqve eximatur, tamen toleratur, cum certiori periculo exponatur ipſa mulier, niſi ſectio fiat, certo non ſecta peribit, ſecta autem & ipſa & aliqvando ipſe fœtus vivere poteſt, ſi ab experto manu fiat. *Celſus* inſignis Medicus *lib. 2. ſuæ Medic. c. 9.* ſvadet in morbo Apoplexiæ, ſi periturus videatur, qvi laborat, niſi temeraria quoqve via fuerit adjutus, eſſe etiam ad temerarium remedium tranſeundum, & ſangvinem eo caſu mittendum, licet anceps omnino reme-

 dium

dium ſit, & aut liberet, aut occidat. Eodem qvoqve modo Svecis & Danis ex Jure Gentium, & dictitante ac præeunte ipſa natura licebit, cum rationis decreta pacifica parum hic proficiant, poſt tot annorum patientiam ejusmodi ludibriis obviam procedere, & ad violentiora recurrere remedia: Talia enim intentantur, qvæ citra certum Sveciæ ac Daniæ exitium ac irreparabile damnum ferri non poſſunt, cum pactis inſuper habitis, ac rupto fœdere generis humani (ut ap. *Florum* eſt *lib. 3.*) per everſa commercia privatæ juxta publicæq; opes ſubruantur, nec ulla ſpes amicæ brevis emendationis: Et videtur ipſos Batavos nec tunc aut nunc ſincere velle pacem, cum contra naturam ſit, ut hoſtilia facta ex animo pacifico oriantur tam levibus innixa cauſis; effectus enim pacis eſt, ut alii cum aliis ſecure agant, & ut cuiqve liberum ſit ſuo jure ſine moleſtia aut impedimento uti. Inde ſi præter ſpem Sveci ac Dani aliorum iniqvitate in bellum detrudantur, æqvitas cauſæ ipſis bonum eventum promittere debet. Qvod ſi enim bona fuerit pugnantis cauſa, pugnæ exitus malus eſſe non poteſt; ſicut nec bonus judicabitur finis, ſi

cauſa

cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit, inqvit *Bernhardus*. Et ut eſt apud *Liv. lib. 21. c. 10. Eventus belli velut æqvus Judex, unde jus ſtat, ei victoriam dare ſolet*: Et ut habet ex Euripidis Erechteo *Stobæus Serm. 54.* ȣ̓δεὶς ϛρατεύσας ἄδικα, σῶς ἦλθεν πάλιν: *iniqva bellans bella, ſalvus haud redit.* Omnium qvoqve Principum intererit, ut Svecis ac Danis contra manifeſtas Batavorum & Anglorum injurias aſſiſtant ac qvaſi ad commune incendium reſtingvendum hîc concurrant; cum publico omnium bono redundat, ut ne qvis alios injuriis impune inſultet: huc facit qvod Solon interrogatus, qvid faciendum, ut qvam pauciſſimæ inter homines injuriæ ſint exturæ? reſpondit, Εἰ ὁμοίως ἄχθοιντο τοῖς ἀδικȣμένοις οἱ μὴ ἀδικȣ́μενοι i. e. ſi *perinde cum læſis doleant, qvi non læſi fuerunt.* Qvicqvid autem hactenus à nobis aſſertum, Svecos ac Danos ſummo jure non teneri ad auxilium militum Batavis pacto promiſſum, ob violatam ab his primitus fidem; Item Svecis & Danis jus eſſe, libertatem commerciorum

hacte-

hactenus a Batavis & Anglis turbatam, armis aſſerere ac defendere, non eò adductum, ut ſugilletur exiſtimatio Anglorum & Batavorum, aut qvod bellum generi humano ſatis exitioſum ſvadeamus; Abſit! Pacem enim te poſcimus omnes, nec qvæ dicta aliò tendunt, aut alium finem ac ſcopum habent, qvam ut Orbi univerſo pateat, qvantum Svecis ac Danis in Anglos & Batavos liceret, ſi contra hos ſecundum ſummum jus experiri vellent, eorumqve innocentia illæſa ſervetur, ſi forte ad manus eapropter venturi ſint; Ac ut præſens ætas ſciat, & poſteritas grato animo revolvat, hanc pacem, hanc tranqvillitatem debere ipſas manſvetudini regiorum animorum, qvi potius per hoc tempus, qvo tota ferme Europa inter ſe luctatur, multas injurias & facinora Juri Gentium & pactis repugnantia, diſſimulare, qvam illa armis, ut jure qvidem poterant, vindicare volunt, ne ſcilicet victoriarum curſus in Barbaros ac Chriſtiani nominis hoſtes ſiſtatur. Videtur inde mihi illo Taciti de Chaucis, non tam Chaucos, qvam Svecos "vivo penicillo delineatos: Populus inter

Ger-

Germanos nobiliſſimus, qviqve magni-„ tudinem ſuam malit juſtitia tueri, ſine cu-„ piditate, ſine impotentia, qvieti ſecreti-„ qve: nulla provocant bella, nullis rapti-„ bus aut latrociniis populantur. Idqve præ-„ cipuum virtutis ac virium argumentum „ eſt, qvod ut ſuperiores agant, non per „ injurias aſſeqvuntur. Prompta tamen „ omnibus arma, ac ſi res poſcat, exercitus; „ plurimum Virorum Eqvorumqve, & „ qvieſcentibus eadem fama. *Tacitus* „ *de Morib. German. num. 3.*

FINIS.

VItia Typographica cum ob abſentiam Autoris non pauca irrepſêre, ac ſenſum non raro obſcurum reddant, attamen cum iis facile ab intelligentibus mederi poſſit, inde æqvum judicium a qvovis Lectore rerum non ignaro nobis promittimus.

99-01

G693
G874n